




1
6
465










A

XIV

VIGN. in THEOPH



ANIMADVERSIONES, SIVE OBSERVATIONES IN LIBROS DE HISTORIA, ET DE *Caufis Plantarum.*

THEOPHRASTI

PER DOMINICVM VIGNAM, OLIM DE PROSPERIS Flor: & Phil: ac Med. Doctorem, Ordinariumq; Lectorem Simpliciſtam Piſani Lycæi

Factæ, & obſeruatæ Circa Arbores, Frutices, Subfrutices, Stirpes, Plantas, & Herbas, quibus omnibus difficile nomen ſit, & ad Nomen Italicum, & vulgatum Pro viribus redactæ.

Ad Sereniſsimum D. D. FERDINANDVM Secundum Magnum Etr. Ducem Quintum.

Quibus publici boni cauſa, addita fuit Tabula ſtudio & opera.

Andreæ Checcaccij Philoſophi & Medici Piſani.






P I S I S,

Apud Syluestrum Marchettum, & Carolum Maſſinum,

SVPERIORVM PERMISSV. M. DC. X X V.



SERENISSIMO FERDINANDO II. MAGNO DVCI ETR. V.

DOMINICVS VIGNA FLORENT. S.P.D



VASI de mortuæ iacebant Liberales artes temporibus ijs, quibus Laurentius Medices vir ad eas excitandas summo Dei munere ortus, ac hominum generi traditus est, qui cum Liberalissime Litteratos viros, & Studijs, doctrinisq; deditos complecteretur, ac Domi apud se haberet semper, quales Angelus Politianus, Marsilius Ficinus, Demetrius Calcidensis, Landinus, alijq; fuerunt, tantum effecit, vt eę reuiuiscerent, atq; vt cum maxime vigerent. Cosmus Serenissimus Abauus tuus æque summarum rerum studiosus extinctam Pisis Academiam non modo instaurauit, Sed altius etiam euexit. Idem Serenissimus Franciscus Patruus Magnus tuus. At Ferdinandus Auus Serenissimus quid quæso omisit, vel potius conatus non est, quo Pisarum

Academia omnibus alijs præluceret? At vero Serenissimus COSMVS Secundus Pater tuus, neq; eorum ulli, neq; ijs omnibus ulla ex parte concessit, quæ vero fecerit, mearum virium non est dicere, cum omnibus notissima sint, ac nisi ab immatura morte nobis sublatus esset, maiora in dies magis, atq; magis præstaturum esse non solum speraremus, sed etiam certi, ac tuti essemus, quis enim nescit ipsum toto pectore nostram Pisanam Academiam Solere Complecti, atq: omnium virtutum acerrimum defensorem fuisse? Tu vero unus Serenissime Ferdinande omnes alios superare velle videris, postquam summorum virorum ex Diuersis non solum Italiæ, sed etiam Europæ Regionibus aduenientium copiam tua Liberalitate, ac propria impensa hic permanere, ac alere curas, & imperas; es namq: Italiæ Columen, Europę Decus, AEui Lumen, Turcarum terror, Belli, Pacisq; Imperatorijs artibus instructissimus. Et Quanto Amore, quantaue Diligentia, quinimo etiam Prudentia Serenissimus Magnus Ferdinandus Primus Imperauerit fieri Viridarium Simplicium in Antiquissima Vrbe Pisarum, vel ex Abundantissimo, & Elegantissimo Musæo multis Mineralibus, Conchilijs, Testaceis, Lapillis, preciosisq; Margaritis, & varijs rebus naturalibus referto, vel etiam ex varijs Diuisionibus affabre, & concinne factis, innumeras ac fere infinitas Areolas Continentibus, vel Deniq; ex copiosis, atq; pulchris fontibus inibi existentibus, multo Luce Meridiana clarius constare potest, ommissis maximis, ac innnmerabilibus expensis in eo factis, vt è varijs, Longinquis, atq: exoticis regionibus Plantæ in eo deferrentur.

Cum

Cum autem ego consideraverim, atq: intuitus fuerim Studium, Amorem, ac Propensionem, quam Celsitudo vestra Serenissima tali Viridario affert, spero tanquam alterum Ferdinandum fore, ut quod a Primo Ferdinando prospere incœptum fuit à Secundo perfici debeat, atq: pro Adolescentium Medicorum, & Aromatariorum studio, & beneficio, ac utilitate Publica in dies magis, magisq; Locupletetur. Id enim nobis Persuadent qui Academiæ Pisanæ vigilanter Præsunt, & ita confirmant, ut non modo Doctores, sed ad studia quoq; incumbentes, una omnium (larissima uoce testentur. Quæ omnia me impulerunt, ut opusculum hoc de Simplicibus edoctus in omnium Simplicium uberrimo Horto, Qui Pisis tanta cum Laude affluentius uiret, in dies Componerem, Tibiq: Serenissimo Heroo, qua decet humilitaie dicarem, Plura (onaturus, cum ætas Maturior Concedere uideatur.

Deus interim Optimus Maximus te diu incolumen nobis, Aliisq: Mortalibus Præstet.

Ex Academia Pisana Die 18. Mensis Septembris 1625.

AD

AD BENEVOLOS LECTORES.



N vobis Lectoribus Studiosissimis, Libellus, in quo aliquarum vocum difficilium, in herbis, Plantis, Fruticibus, subfruticibus, Stirpibus, & Arboribus a Theophrasto descriptis, explicationes, ac enodationes, & vt vno verbo dicam obseruationes a varijs Authoribus desumptæ, descriptæ sunt, non vt vobis aliquid noui adferrem, sed vt hinc Inde varias opiniones allatas, in hunc vnum Locum coirem, & aliqua ex parte pro meis viribus prodessem non solum Aromatarijs, & Medicis, sed omnibus illis, qui Simplicium Scientiam sectari conantur. Quibus si gratus esse videbor, ad Meliora properabit animus, & ad vtiliora deuenire Conabor. Interea Deus Optimus Maximus vos Incolumes conseruet, mihiq; per aliquot annos vitam tribuat, nam semper ad vtilitatem publicam si non noua, saltem hinc inde varia collectanea simplicium Medicamentorum in Lucem edere decreui. Valete ex Almo Studio Pisano.

Vester Addictissimus Dominicus Vigna.



NOTABILIS DESCRIPTIO

Quæ ſupra Januam Viridarij Piſani poſita eſt, ſic ſe habet.

FERDINANDVS MEDICES MAGNVS DVX ETRVRIÆ. III.

VT Adoleſcentes ſtudioſi Paratum habeant Locum, in quo Fruticum, Herbarumq; Facultates, & Naturas Pernoſcant Hortos inſtruẽdos Curauit, Domumq; ſua pecunia emptam, & ſcite Inſtauratam adiunxit, per quam eis in gredi cupientibus aditum patere voluit. Anno ſalutis CIↃ IↃ VC.



HVIC Deſcriptioni Sibiŭgere mihi placuit omnes Excellentiſſimos viros, qui ſimplicia Medicinæ publice profeſſi ſunt in PISANA ACADEMIA, Simpliciſtas vulgo vocatos, sumpto exordio a Reſtauratione Piſani Studij facta a Sereniſſimo COSMO ME-

DICE

DICE MAGNO DVCE ETRVRIÆ. I. & ut intelligere potui a Per Illustri ac Reuerendissimo D. D. Hieronymo a Summaia Florentino Utriusq; Signaturę Refer. Ecclesię D. Stephani, Pisanæq; Academiæ Præfecto vigilantissimo qui pulcherrimo ordine, profundaq; Memoria omnia tum noua, tum vetera non solum quę ad Lycæum Pisanum spectant, pertractat, & disserit, sed etiam quæ peracta sunt tempore suo in omnibus Academijs Italiæ, & Hispaniæ diligenter enarrat.

Primus Simplicista fuit Excell: D. Lucas Ghinus Senensis, qui incoepit legere ab Anno 1547. stilo Flor. vsq; ad totum amnum 1554. de ipso pluribus in locis fuit facta mētio a Petro Andręa Mattheolo Senensi supra Dioscoridē, ab Aloysio Anguillara in suo libro de Simplicibus uocato parere. a Joanne Pona Veronēsi in sua Descriptione montis Baidi, & ab alijs Recentioribus Herbarijs, & Scriptoribus, Præcipue a Thoma Garzonio de Bagna Cauallo in suo libro uocato Piazza vniuersale vbi in discursu 23. agit de Simplicistis, inter enim Simplicistas Recentiores Princeps uocatur Lucas Ghinus Senensis, a quo multa didicit Mattheolus Senensis.

Secundus Simplicista fuit Doctissimus Andræas Cæsalpinus Ioan. Baptistæ filius, qui cum esset natus anno 1519. adeo Studijs Philosophię & Medicinę, nec non herbarię disciplinę se tradidit, vt agens annos trigintaduos Anno tertio Pontificatus Sanctissimi D. D. Julij Papæ III. & Serenissimo atq; Inuictissimo Pricipe Carolo Quinto Deigratia Romanorum Imperatore Semper Augusto, & Hierusalem

VI

lem Rege Gloriosissimo, & Dominante Illustrissimo, ac Excellentissimo D. D. Cosimo Medice Reipublicę Florentinę Duce II. Summe foelecissimo die xx. Martij 1551. Doctor philosophiæ, ac Medicinæ ab Excellentissimo D. Joanne Argenterio Castelnouense, a D. Niccolao Boldonio Mediolanense, D. Remigio Megliorato Burgense, D. Barthalomeo Gattescho Siratense Compromotoribus suis declaratus fuerit a Reu. D. Syluatico Guidio Clerieo Volaterrano I. V. D. ac Vicario Illustriss. ac Reuerendiss. D. Honophrij Bartolini de Medicis. Inde Lecturā Sīplicíū professus fuerit ab Anno 1555. vsq; ad annū 1569. quo anno in coepit legere Practicā Ordenariā Medicinę vna cū Excellentiss. D. Thoma Cornacchino Aretino, taliq; anno 1569 & etiam 1570. legebat diebus Iouis, & Festiuis Sīplicia Medicinę, diebus non festiuis legebat Medicinam Practicā Ordinariā, ab anno uero 1570. usq; ad totum 1591. solum legebat Medicinam Practicam. Adeo vt Pisis lecturam publicam triginta sex annos continuos exercuerit, sexdecim Simplicia, & Reliquos Viginti Medicinam. Postmodum die Octaua Septembris 1592. uocatus a S. D. N. Papæ Clementis Octaui (fauore Illustrssimi ac Reuerendissimi D. Michaelis Mercati de Sancto Miniato Proto Notario Apostolico, & Dicti S. D. N. inter familiares facile Primo) Romā adiuit, vbi vndecim annos Medicinam Supra Ordinariam publice profeßus fuit cum stipendio Mille scutorum, quorum sexcentos accipiebat a S. P. Q. R. pro Lectura, & quadringentos a Reuerenda Camera Apostolica tanquam Medicus suæ sanctitatis. Fuit Constantissimus in Lætitijs, &

aduersitatibus, fuitq; præsens Dum Corpus Mortuum Sancti Filippi de Neris Florentini Fundatoris Congregationis Oratorij, seu Ecclesiæ Nouæ Romanæ, videndi, exenterandiq; causa in Ecclesia hora tertia noctis delatum fuit die 25. Maij Anno salutis 1595. Sicut testatur copiose Antonius Gallonius Romanus eiusdem Congregationis Presbyter in libro Tertio Vitæ Beati Philippi de Neris in capite, Quãdo Corpus in ecclesiam aduehitur. Tandem idem Cæsalpinus annos agens Octuaginta quatuor die 15. Martij 1603. Pleuriticus obijt, cum prius libros nunc enarrandos in Lucem edidisset, nempe.

Libros sexdecī de plantis typis mandatos Florētiæ 1583

Libros quinq; Quæstionū Peripateticarū venetijs 1593

Ad Serenissimum Franciscum Medicem Magnum Etr. Ducem Secundum omnes Dicatos.

Dæmonum Inuestigatio Peripatecica ad Illustrissimum ac Reuerendissimum Archiepiscopum Pisanum Petrum Iacobum Borboniū ex Marchionibus Sanctæ Mariæ, nec non

Libros Duos Quæstionum Medicarum, & Libros Duos de Medicamentorum facultatibus ad Serenissimum Ferdinandum Medicem Magnum Etruriæ Ducem Tertium.

Romæ, anno 1596. in Lucem edidit.

Libros tres de Metallicis. ad Sanctissimum D. N. Clementem VIII. Pont. Max.

Romæ Pariter 1602.

Libros quatuor continentes Partem Primam Artis Medicæ ad eundem Pont. Opt. Max.

Sic & 1603. Romæ edidit.

Libros

VII

Libros alios quatuor continentes Artis Medicæ Partem Secundam ad Illustriss. & Reuerendiss. D. Petrum Aldobrandinũ Cardinalẽ: & tandẽ ibidẽ eodẽ anno 1603. edidit Apendicem ad Libros de Plantis; & ad

Quæstiones Peripateticas. ad Perillustrem Virum, & omni virtute Cumulatissimum D. Baccium valorium Patricium Florentinum, A consilijs secretis Serenissimi Ferdinandi. M. D Etr. III.

Quinimo post Cæsalpini mortem. Taruisij 1606. sũptibus Roberti Meietti Bibliopolæ Veneti impressa fuit iterum Praxis vniuersę Artis Medicæ Authore Andræa Cæsalpino Archiatro Romano, dicata Perillustri, ac summe Excellenti Viro Fabio Pacio Archiatro apud vicentiam præcipuo, ab eodem Meietto Veneto.

De ipso Cæsalpino facta fuit Mentio a Thoma Garzonio superius citato, in suo Libro vocato Piazza vniuersale di tutte l'Arti, Loquendo de Simplicistis in Discursu 23. vbi ait, si qui cupiunt augere Particularem Cognitionem Simplicium, illis non sit aliquod incommodum Legere opera Andrææ Cæsalpini Aretini Medici Clarissimi, qui recenter scripsit Libros Sexdecim de Plantis admodum ornatos.

Fuit quoq; de eodem Cæsalpino facta Mentio a Ioanne Pona Veronensi in sua Descriptione Montis Baldi, & à Balthassarre & Michaele Campi Aromatarijs Lucensibus diligentissimis in Libello quem ediderunt vocato Nouo discorso del Mitridato, & ab alijs Mirorq; ab Authore Historiæ Plantarum (qui nisi fallor fuit Iacobus Dale-

cham-

champius, vt videtur Annuere licet tacite Gulielmus Rouillius Lugdunensis in vestibulo epistolæ ad Lectores) nunquam citatum fuisse Cæsalpinum, cum tamen ipsius Cæsalpini de plantis Pulcherrimus, ac bene, & ordinate dispositus ordo sumptus fuerit ab ipso Auth. Hist. plant. vt vnusquisq; oculatus Lector, & studiosus Herbarius fateri potest, si vtrosq; Authores perlegat, & optime consideret. Sed prosequamur enarrare alios simplicistas.

Tertius simplicista fuit D. Thomas Mesman natione Germanus, qui cum solum simplicia Medicinæ professus fuerit vnico anno 1571. de ipso pauca dicam.

Quartus fuit D. Baldellus Baldellius Cortonensis, qui vigintiquatuor annos continuos maxima cum Laude, maximaq; cum voluptate non solum Adolescentium Herbariorum, sed etiam omnium Aromatariorum Pisis tunc temporis existentium, simplicia exercuit, ab anno nempe 1572. vsq; ad totum 1596. Sed suo Tempore anno 1582. vsq; ad totum 1584. Legebat etiam, at diebus Iouis & festiuis sine aliquo stipendio. D.

· Camillus Christophorus Montemarcianensis, qui a me Quinto loco inter simplicistas connumeratur.

Sextus fuit D. Ioseph Rouezzanius Pisanus ab anno 1597. vsq; ad totum 1601. Qui nisi ab immatura morte prauentus fuisset, inter Herbarios suę ætatis nemini secundus extitisset; & ab ipso, ego suo vltimo anno prima principia simplicium didici, maximoq; amore, & maxima cura, & diligentia, ipsa docere conabatur.

Septimus simplicista fuit D. Marcus Cornacchinius Aretinus

tinus supra dicti Excellentissimi Thomę Cornacchinij filius, qui ab anno 1602. usq; ad totum 1606. simplicia Medicinæ professus fuit, inde Practicam ordinariam, ac sui Patris Cathedram Medicinæ usq; ad 1621. maxima cum Laude exercuit, sed ob maximos Labores in medendo gestos ipso anno 1621. vitam cum morte mutauit, Sed prius in Lucem ediderat, & typis Mandauerat Tabulas Medicas a Thommaso Cornacchinio patre suo compositas, & Libellum, qui inscribitur Methodus in puluerem, qua omnes humani corporis affectiones, tuto, cito, & iucunde curantur,

Octauus fuit D. Horatius Cornacchinius, septimi simplicistæ Frater, qui multos annos Pisis publice Logicam, & Philosophiam exercuerat, deinde professus erat etiam Logicam summo honore in Lycæo Patauino, Quo loco typis Mandauerat librum cui nomen est Indagatio veræ, & Perfectæ Definitionis Logicæ; cum autem vellet Pisis breui temporis spatio omnium plantarum, quæ supra Montes Apenninæos, reperiuntur, cognitionem habere, Iluaeq; Insulam diebus canicularibus totam peragrasset, solum annos 1607. & 1608. Lecturam simplicium exercuit, & ab inexpecta ta morte, in ipso ætatis flore sublatus fuit.

Nonus est Dominicus Vigna Florentinus, olim de Pros peris, qui die .16. Februarij 1609. Legere incœpit; de Mense vero Octobris 1620. declaratus fuit Ordinarius Lector a Fœlicis Recordationis Serenissimo Cosmo Secundo M. D. Etr. Quarto. & adhuc prosequitur ad Laudem, & Gloriam Omnipotentis Dei, qui cuncta Moderatur, & Gubernat.

Si quis autem scire vellet Custodes Diligentissimos, qui supra Dicto Horto Pisano, siue Viridario simplicium a Serenissimo FERDINANDO. I. M. D. Etruriæ III. Instructo præfuerut tales sunt.

Primus fuit D. Joseph Casabona e Flandria Oriundus, Herbarum, Simpliciumq; Diligentissimus Perscrutator, qui maximo Labore, miroq; artificio plantas e varijs Locis ac Longinquis & præcipue e Locis Cretensibus ab ipso delatas pulcherrimo ordine disponere incoepit anno 1593. & usq; ad 1595. perdurauit, nisiq; ad meliorem vitam transiuisset, inter Herbarios facile primus euasisset, eodemq; anno 1595. custodiæ dicti Viridarij Præfuit.

Polydorus Matteinus de Sancto Mamme, de quo nihil habeo quod dicam, nam anno 1596. Admodũ Reuerendus.

Pater Frater Franciscus Malocchius Florentinus Minorita Fratrum Diui Francisci de Zoccoli dictorum, Missus fuit ad custodiam Viridari simplicium a Serenissimo Ferdinando Primo M. D. Etr. Tertio, & cum Dictus Fr. Franciscus ad melius etiam disponeret plantas, tandem animum suum applicuit rebus naturalibus, vnde pulcherrimo, miroq; ordine Musæum hodie Galleria vocatum disposuit, adeo vt iure merito (a Joanne Pona Veronensi in sua Descriptione Montis Baldi vbi agit de Chrysogono) Simplicista, & Antiquarius Serenissimi Magni Ducis Etr. vocatus fuerit, de cuius Laudibus multa, sed nunquam satis dicere possem, nisi putarem Benignos Lectores Tædio afficere, & sic Præceptoris mei Amantissimi potius Laudes Laudando imminuere, quam illas recensendo augere. Hoc autem

non

non prætenbo Fratrem Franciſcum Maloechium Præceptorem meum fuiſſe obſeruantiſsimum Diſcipulum Reuerendi Fratris Saluatoris Scalandroni Florentini, ac Minoritæ, qui Pulcherrimum, vberrimum, ac Laude dignum Viridarium Florentiæ habebat apud Eccleſiam vocatã Borgo Ogni Santi, Cuius quidem Fratris Saluatoris veram effigiem apud me teneo depictam, interq; res charas eam habeo, nam inter Simplicictas ſui temporis Primum Locum habebat, ſicut & hodie inter viuos Primum Locum tenet Adm. Reuerendus P. Frater Mattheus Pandolfinius Ciuis Florentinus, & Minorita, qui nuper dicti Viridarij Curam diligentiſsimam habet, quiq; ipſum Pulcherrimis, & exoticis plantis replere Conatur, & fere ſuum vltimum intentum obtinet. Sed ad Malocchium Præceptorem meum reuertor, qui poſt maximos Labores in perquirendo plantas fere per totam Italiam, poſtq; multa Itinera facta, maximis Priuilegijs ſummo amore a Sereniſſimo Ferdinando Primo ei conceſsis, tandem diem ſuum obyt die 19. Januarij. 1614. & extra Piſas in Eccleſia vocata Santa Croce Condignis Funeribus inter ſuos Reuerendos Fratres Minoritas ſepultus fuit. Faxit autem Deus, vt eius anima æternam Potiatur Gloriam.

Poſt Mortem Dicti Fratris Franciſci Malocchij a Menſe Januarij vſque ad Totum Menſem Octobris 1614. per Modum Prouiſionis fuit Cuſtos Joannes Rocchi Florentinus qui Nepotem ſuum eſſe aſſerebat; deinde acceſsit.

** Jaco-

Jacobus Macolo Scoto Brittanus eodem anno 1614. & usq; ad 1617. non solum talis Viridarij Pisani Custodiam habebat, sed etiam Medicinę Theoricam extraordinariam simul publice in Pisano Gymnasio Profitebatur, erat enim Philosophiæ, & Medicinæ Doctor:

Ultimo loco a me connumeratur Excell. D. Pancratius Mazzanga Bargæus Phil. & Med. Doctor qui ab anno 1617. usq; ad presens tale Viridarium ad pristinum statum reducere conatur.

Ob Studiosorum Curiositatem etiam Mensuram talis Viridarij apponere mihi placuit, sed prius eius situm varium exponere decreui, nam ut intelligere potui, a Perillustri ac admodum Reuerendo D. Cammillo Mazzolio Canonico Pisano, & iam Philosophiæ, ac Medicinæ Doctore, Amantissimoq; Discipulo Doctissimi Cesalpini, & ab alijs viris fide dignis olim Viridarium Simplicium positum erat Loco dicto al Giardino dell' Arzinale, quo loco fiunt Triremes, & ibi etiam adhuc virescit pulcherrima Arbor Storatis, Sycomori, & vasta Palma. Postmodum per aliquot annos positum fuit Viridarium Loco dicto a Santa Viuiana, ubi hodie est Ecclesia diruta Sanctæ Bibianæ, quam ad præsens tenent Almodum Reuerendæ Moniales Sanctæ Martæ. Nunc autem situm est Viridarium Simplicium in via dicta Santa Maria Cuius Longitudo est Cubitorum Dugentorum & Triginta. Latitudo vero Cubitorum Centum. Taliq; spacio ad sunt Octo Diuisiones, seu Spalti, vel vulgo Quadri dicti, & unaquæq; talium Diuisionum in Me-

dio

dio Pulcherrimum fontem habet, & Circum Circa Multas Areolas affabre, & Concinne factas; Dimisso Musæo siue Galleria, cuius Pulchritudinem, & vbertatem alio Loco commodiori pertractandam relinquo, non enim omnia vno Loco enarrare optimum esse putaui.



PERILLVSTRI,

AC ECCELLENTISS. VIRO

D. DOMINICO E VIGNA FLORENTINO SIMPLICIVM NATVRALIVM PISANO IN LYCEO PROFESSORI MERITISSIMO AD THEOPHRASTVM ERESIVM LOQVENTI.

ANDREÆ CHECCACCI PHILOSOPHI, ET MEDICI PISANI PRÆCEPTORI SVO AMANTISSIMO ANAGRAMMA.

DOMINICVS E VIGNA FLORENTINVS.

NVNC TE NIL MAGIS FIDIVS RENOVO.

DOMINICVS E VIGNA FLORENTINVS.

DOCTOR NE IN FINE IVLIVS MAGNVS.

DOMINICVS VIGNA FLORENTINVS.

IGNI CVN VI, TV DOMINANS FLORES.

AD EXCELLENTISSIMVM

D. DOMINICVM VINEAM

CARMEN.

VInea dat Vinum, das (Vinea) sæpe salutem,
Dat gustum Vinum; corpus & esse sanum.
Vinea dat frondes, fructus, dulcemq; Liquorem,
Vno non semper permanet illa loco.
Vinea, tu frondes, flores, plantasq; radices
Ac herbas virides semper habere doces.
Nomina græca cupis nobis transferre latinis,
Ipse paras græcis tela timenda nimis.
Pellere mortiferum quæris de corpore morbum,
Et quò sit sanitas restituenda modo.
Partibus in totis tu solus floridus hortus
Quæ sapienter habes, nunc tua scripta docent.
Laudibus es cunctis præ cunctis dignior vnus,
Quem virtutis honor terq; quaterq; beat.
Hoc solum liceat mihi de te dicere carmen,
Non vidi similem sæcla tulere virum:
Hunc ergo teneat librum sub pectore semper
Tempore si longo viuere quisque cupit.

Fr. Sebastianus à Messana Baccell. Min. Con.

DEL DOTTOR
GIO. FRANCESCO LVPI.



FIOR fronde Erbe Radici sterpi, e Piante
Da più Romite parti in vn Raccolte
In bel giardin Piantate vaghe, e colte
Con dotto e graue stil ci pone auante.
Di varij fior contesta selu' Errante,
Di verdeggiante Erbette Arbusti accolte,
Con bell' ordine poste sparse, e sciolte
Jl Dotto Vigna pratico, e prestante.
E con longa fatica abbreuiato,
Fatica di saper la veritate
D' ogni pianta virtù Temperie e stato.
Miracol dato a noi di questa Etate
Ch' in breue viridario sia Piantato,
Piante scelte valor, e qualitate.





AD EXCELLENTISS.mum.
DOM. DOMINICVM VINEAM.
EPIGRAMMA.



NOmina nominibus dum lustras Greca latinis,
Alter ades Adam, Deucalionq; nouus.
Itala fortè tuo libro non sufficit ora,
Dum sua per cæli sydera fama volat.

Jo: Baptista Battianus
Bugellensis



DI PIETRO GVGLIELMO LVPI

PER eternarui il nome non sia mostro
Eleganza di versi arguti, e Colti,
Ma di Semplici insieme uniti e auuolti
Vu Libro tale ó Vigna quale, e il vostro.
Non aggiugne la penna Carta e Inchiostro,
Non versetti legati o manco sciolti,
Ch'indarno fatti sian da molti e molti,
Scritti da dotta man in oro odostro.
Sia Carta l'Erba il Ramo penna sia
Il succo inchiostro i Semplici il soggetto
Ch'esprimer non lo puol la penna mia.
Semplicemente i Semplici in effetto
Con lode ammirerò questo pur sia
Che resti ardente per lodar l'effetto.





INDEX NOMINVM ITALORVM,

SIVE ETRVSCORVM, SIVE VVLGARIVM.

B

Bidollo 15.

C

Cinque-

INDEX

D

Dolciu-

E

F

G

Gittone

H

I

K

L

INDEX

N

O

P

Piantag-

Quercia

Q

R

S

T

Vaccinio

XXII

V

Zaffran

Z

IL FINE.

AVTHORES, AC SIMPLICISTÆ QVORVM FIT Mentio in hoc Opere.

Iacobus Macolo Scoto Brittanus.
Ioannes Mesues
Ioannes Pona Veronensis
Ioannes Ruellius
Ioannes Serapio.
Ioseph Casa Bona e Flandria Oriundus.
Ioseph Rouezzanius Pisanus
Lacuna
Leonarthus Fuchsius
Lobellius siue Matthias de Lobel
Ludouicus Ariostus
Lucas Ghinus Senensis
Marcellus Virgilius
Marcus Cornacchinius Aretinus.
Mattheolus Senensis
Matthæus Pandolfinius Flor. Minorita
Matthias de Lobel
Mesue
Michael & Balthassar Campi Lucenses
Nicolaus Monardes
Pancratius Mazzanga Bargæus.
Petrus Andreas Mattheolus Senensis
Petrus Pena
Plinius
Polybius.
Rembertus Dodonæus
Rondeletius
Saluator Scalandronius Flor. Minorita
Serapio
Theodoricus Dorstenius
Theodorus Gaza
Theophrastus Eresius;
Thomas Cornacchinius Aretinus
Thomas Garzonius de Bagnacauallo
Thomas Mesman Germanus
Tragus
Valerius Cordus
Virgilius
Vlysses Aldrouandus

Errata

XXIV

ERRATA

PAVCA QVAE SVNT

BENEVOLVS LECTOR

Quæso Corrigat.

ANIMADVERSIONES, SIVE OBSERVATIONES IN LIBROS DE HISTORIA, ET DE CAVSIS PLANTARVM. THEOPHRASTI



Bies. Arbor nota est, vulgo Abezzo, siue Abeto dicta, ex qua fluit illa Resina, quæ nomine improprio vocatur oleum dictum olio di Abezzo. At Abies marina a Theophrasto descripta, à Doctissimo viro, & nunquam satis laudato Domino Andræa Cæsalpino Aretino inter Recentiores Herbarios Etruscos, ne dicam Italos facile principi in libro 16. de plantis cap. XXXIIII putatur esse Coallinę species. quę habeat similitudinem cum ramulis Abietis.

ABrotonum; licet sit omnibus notum, putaueram de ipso nihil animaduertere, tamen hoc silentio non est prætereundum, quod notat Cæsalpinus lib. 12 de Plantis cap VII. nempe Teophrastum vnicum Abrotonum descripsisse, quod est Abrotonum Fœmineum nostrum vulgare,

ABsynthium tanquam notissimum, à nobis non obseruatur, Nisi de illius Æthymologia aliqua dicamus, quę scribit Author Historiæ Plantarum lib 8 cap. 32. nempe Græce Absynthion vocari per Antiphrasim à contrectando, quasi quod nullum animal talem herbam attingat ob suam amaritudinem, & eandem ob causam etiam Græce vocari Bathypicron, seu Barypicron, & apud Græcos Comicos Apinthion, hoc est impotabilem, herbam. quam

nemo propter insignem amarorem bibere possit. Vnde ego soleo dicere vocatum fuisse Absynthium, quia velit dicere, Absit, ac longe maneat ille, qui vult gustare talem Plantam, est enim valde amara.

ACacia vide Acantha, sunt enim vnum & idem, sed Acacia Dioscoridis est Acantha vera Theophrasti.

ACanaceum, non est Planta particularis, sed quid vniuersale genus amplectens magna ex parte ea, quæ folio constant aculeato, vt asserit Theophrastus lib 6. de Hist: plant. cap. III. & Cęsalpinus lib. 13. de Plantis cap. XXVI. dicit Acanacea esse ea, quorum conceptus, & id cui flos insidet, aut etiam fructus, spina vel spinaceum est, sic folia, & Caulis.

ACanus, putatur à Doctissimo Cæsalpino lib. 13. de Plantis cap. XXXVII. esse illud Cardui Syluestris genus in Ruderibus frequens, a quibusdam Carduus Lacteus, siue Lac Diuæ Mariæ vocatum, ob maculas candidas, quas habet in folijs, & à Dioscoride lib. 4. cap. CLIII. & a Plinio lib 22. cap. XXII. dicitur Silybon, vel Silybum.

Author Historiæ Plantarum lib. 14. cap. VII. videtur asserere Acanum esse illam plantam, quæ a latinis chamæleon albus vocatur, & a peritis Herbarijs Hodie carlina dicitur.

Ioannes Pona Veronensis inter Recentiores Herbarios adhuc viuos diligentissimus in sua descriptione Montis Baldi Folio. CX. dicit esse illam Plantam, quæ oritur locis cretensibus sub nomine vulgato Agauano di candia,

ACantha simpliciter dicta, est eadem ac Acacia Dioscoridis, siue spina Ægyptia eiusdem Theophrasti, talisq; Acacia ortum habet à verbo Acaco Græcorum, quod est Acuo Latinorum ex Authore Hist. Plant. lib. 2. cap 18. sed Aduertendum est quod talis Acacia vera hodie virens reperitur Florentię in Viridario Pulcherrimo Adm. Reu. P Fratris Matthæi Pandolfinij Florentini, sic & Arbor vitæ inferius dicenda, relictis multis alijs Pulcherrimis Plantis quæ apud ipsum existunt. Prærerea notandū est quod Acanthos siue Acanthus differunt ab Acantha. nā Acantha est inter arbores cōnumerata a Theophrasto lib. 9 de Hist. Plant. c. 1. at Acanthos siue Acāthus est Herba, quæ vulgo Branca Orsina vocatur, quia foliū ipsius pedes Anteriores vrsi animalis imitetur. Ab Amato Lusi-

cano

tano lib. 3. supra Dioscoridem enarratione 17 dicitur Marmoraria Herba, vel quia vt puto locis saxosis. & marmoreis oriatur, vt patet in platea quę est ante ecclesiam diui Zenonis, vulgo à Santo Zeno, & in eius claustro diruto. sic etiam inter Mœnia Campi Sancti Pisarum, & mœnia ipsa Pisana, quo loci copiose oritur, & adsunt multa frustula Marmorum ibi dissecta, vel quia antiquitus in marmoribus delinearetur, & columnis tanquam planta ampla & notissima (vt patet Romæ inquit Amatus) insculperetur.

Notandum etiam est Aloysium Auguillaram libro de simplicibus vocato Parere num. V. cap. de Acantho velle Acanthi duas species à Theophrasto descriptas esse easdem ac Duas Acacias à Dioscoride delineatas.

ACarna. Teste Cæsalpino lib. 13. de Plantis cap. xxxxv. est idem ac Acorna, vtroq; enim modo legitur in nostris Theophrasti exēplarib⁹, reponiturq; ab eodē Theophrasto lib. 6. de Hist. plant. c. iv. a Plinio lib. 21. c. xvi. inter plantas spinosas, & Acanaceas. Author Hist. Plant. lib. 14 cap. xxviiii. refert ipsam Acarnam a Fuchsio vocatam fuisse Atractylidem mitiorem. a Dodonæo Carlinam Syluestrem, & a Lobellio ac Petro Pena Cirsium Luteum. Cæsalpinus autem lib. 13. de plantis cap. xxxxv. vult esse illam plantam quæ habet similitudinem cum Atractyli, de cuius differentia, quæso videas in Verbo Fusus Agrestis, vbi pulcherrima dicere conati sumus.

ACarnica Rigua ità ab Athenienfibus vocata, est species Hederæ, vt testatur Theophrastus lib. 3. de Hist. Plantarum cap. xviii. de cuius reductione si licet mihi in hac re meam proferre sen-tentiam, ità dicerem. Nempe facile esse quod Hedera Rigens Plinij de qua ipse loquitur lib 16. cap xxxiv. sit eadem cum Hedera Rigua ab Athenienfibus vocata ex Theophrasto loco citato Cum autem Hedera rigens Plinii apud Doctissimum Cæsalpinum lib. 3. de Plantis cap. vi. reducatur ad Aquifolium, seu Agrifolium Recentiorum, & vulgarium Pungi Topi: idcirco ex hac animaduersione patet, quæ sit Acarnica Rigua Hedera Theophrasti. Sed de hac re vide etiam in verbo Aquifolia.

ACer est illa arbor, quæ hodie vulgo dicitur piè d'oca, siue Platano aquatico, & hæc nomina intelligere debes de Acero

Montano, nam *Acer* campestre est illa *Arbor*, quę à Latinis dicitur carpinus, & vulgo il carpino, sic nos docent, Cæsalpinus lib. 2. de plantis cap. xii. & *Author*. Hist plant. lib. 1. cap. 28. sed vide in verbo carpinus.

ACer, est idem ac Gallica quam vertit Theodorus Gaza, vt dicit Cæsalpinus lib. 2 de plantis citato cap. xii.

AChrada est pyraster, hoc est pyrus syluestris, itá dicit Cæsalpinus lib, 3. de Plantis cap. LXII. quæ folia deperdit, antequam fructum concoquat.

ACicula vulgaris vide in verbo scandix.

AConitum. Quid, sit & quot eius genera ab omnibus fere Herbarijs tam antiquioribus, quam Recentioribus declaratur.

ACorna. Quid intelligat Theophrastus per tale nomen declaratum est à nobis superius in nomine. *Acarna*.

ACorus Theophrasti, est eadem ac Herba venerea itá interpretata à Theodoro Gaza, sic asserit *Aloysius Anguillara* libro de simplicibus Parere xi cap. de *Acoro* Theophrasti, quo loco asserit hodie reperiri quandam plantam, quæ multis locis vocata est Herba di Venere, ipsamq; describit esse similem in folijs coronopo, hoc est Herbæ stellæ vulgari, e quorum foliorũ medio exeunt multi surculi parui ad altitudinem palmarum in quorum summitate exeunt flores similes illis floribus, quos producit Tragopogon, siue Barba Hircina, hoc est sassefica vulgaris, & commeditur simul cum semine quando recens est, tota planta lacteo succo scatet. Radix ei est ad crassitiem digiti, alba, longitudine palmari, oriturq; in Montibus, Patauij, & Bononię.

ACorus nostras Palustris est idem ac Butomi caulis siue Butomon vt suo loco diximus in verbo Butomi caulis, & est idem ac iris improbata vt suo loco.

ACtes est sambucus vulgaris, ex Cęsalpino lib. 3. de Plantis capite 4.

ACucula vulgaris vide in verbo scandix.

ACuleosa inter *Acanacea*, itá vertit Theodorus Gaza, & est

ea-

eadem, ac polyacantha, ex Cæſalpino lib. 13. de plantis cap. xxxvi. quæ eſt carduus ſyluestris, cuius flos Præſura vulgo vocatur, vt in verbo polyacantha dictum eſt.

ACuta ſpina. Quæ ſit vera apud Theophraſtum difficile eſt aſſerere, cum omnes plantę, quæ Acutam ſpinam emittunt Acutæ ſpinę vocari valeant, & eo magis quia Theophraſtus lib 1. de Hiſt. plant. cap. xv. dicit Acutam ſpinam ex ſylueſtribus ſemper virere, in libro uero. 3. de Hiſt. plant. cap. iv. aſſerit ipſam Acutam ſpinam in Monte, & in plano naſci, & tandem in lib 3 eiuſdem Hiſt. plant. cap. vi. eandem Acutam ſpinam ineunte vere Germinare: Quæ omnes notę in multis plantis Acutis ſpinoſis reperiuntur.

Hoc tamen mihi placet pro Rei Herbariæ ſtudioſorum cognitione, quod a Cæſalpino lib. 3. de plantis cap. xiii. & xvi. dicitur, nempe Acutam ſpinam Dioſcordis, ſiue oxyacantham eiuſdem eſſe illam plantam quæ ab aliquib⁹ vulgo, prunus albus vocatur, & oxyacantã, ſiue oxyacanthũ, ideſt Acutam ſpinam Theophraſti eſſe illam plantam, quę in Italia Lycium vocatur, vulgo Licio Italico, de quo mentionem facit Author Hiſt. plant. lib. 2. cap. xii.

ADianthum eſt planta notiſſima, quæ vulgo Capeluenere dicitur, vt optime notat Cæſalpinus lib. 16. de plantis cap xii.

ADrachne, ſiue Andrachne, eſt portulaca latinorum, vulgi autem porcellana ſiue procacchia.

AEgylope ſiue forſan Ægylops. Putatur a Ioanne Pona in ſua Deſcriptione Montis Baldi fol. 9. eſſe quartum genus Quercus apud Leonenſes,

AEgyron eſt populus nigra ex Cæſalpino lib. 3. de plantis cap. xxxxv. quę vulgo Pioppo nero dicitur.

AEra á Cæſalpino lib. 4. de plantis cap. xxxxviiii. Lolium interpretatur, quod nos vulgo Gioglio dicimus.

AEraria. ponitur ambigua planta, à Theophraſto lib. 6. de Hiſt. Plant. cap. iv. cum dicat Aerariam natura ſpinoſam eſſe, & non aculeatis folijs conſtare. Attamen Author. Hiſt. plant. lib 14. cap. 27. videtur aſſerere Chalceios, & Aerariam eſſe vnum, & idem, taliq;

taliq; nomine dotatam, vel quia eius foliis vasa ænea etergerentur antiquitus, vel quia Ærei coloris sit, nempe virentis obscurius, interſperso Flaueſcentis nitoris paululo ſplendentis.

AEsculus à Theodoro Gaza interpretatus, eſt vulgata Arbor dicta Fargno, ex Aloysio Anguilara libro de ſimplicibus parere quarto cap. de Arboribus Glandi feris.

AGallocchon Agallocchum hoc eſt xylo Aloe, ſeu lignũ Aloe. licet à Theophraſto non ſit deſcriptũ, tamen hoc in loco pulcherrimum obſeruare mihi placuit, & eſt in Muſæo ſeu Galleria dicta Viridarii Piſani, hodie reperiri maximam portionem ligni Aloes optimi, quæ portio eſt ad altitudinem octo cubitorum, & ad pondus octuaginta Librarum, taleq; lignum miſſum fuit ibi a SERENISSIMO FERDINANDO MEDICE .I. M. D. ETR. III. ad quod emendum forſan mille nummi Aurei non ſufficerent.

AGnoglossum, aliqui legunt Arnoglossum, & eſt plantago vulgaris, quæ habet figuram cum lingua Agni, & vel piantaggine, vel Quinque Neruia, ſeu cinque Nerui, vel centonerbia, ſiue centouerui, dicitur. cur vero talibus nominibus vulgaribus vocetur, vide in verbo plantago.

AGnon, ſiue vitex, vel Agnus caſtus, & ſalix Amerina ſunt vnum, & idem. Cæſalpinus lib. 3 de plantis cap. xxxxxi. dicitur Agnon hoc eſt caſtus, quia conferat ad caſtitatem ſeruandam, vnde Agnus caſtus, eſt idem ac dicere caſtus, caſtus. Vitex dicitur quia vinciatur, hoc eſt eius ramuli ſint lentes, qui facile vincientur & flectantur, vnde forſan etiam ſalix Amerina, quia ad inſtar ſalicis in quamcumque partem flecti poſſit.

AIzoon, id eſt ſedum, ſeu ſemperuiuum, vulgo ſopravivolo ſiue ſempreuiuo dicitur.

ALaterna ſiue Alaternus vide in verbo Celaſtrus.

ALbucum Albucus Ex Cæſalpino lib. 10. cap xxvi. & ex Authore Hiſtoriæ plantarum lib 15 cap. xxi. eſt idem ac Aſphodelus ſiue Haſtula Regia Recentiorum, & inter Bulbaceas plantas

ab

ab omnibus Herbariis adſcribitur.

ALcea ægyptia Recentiorum vide in verbo Trionum.

ALga a Theodoro Gaza interpraetata, eſt Alga Marina, quę phy cos Græce vocatur, ex Cæſalpino lib. 16. de plantis cap. xxv.

ALga crinito folio cognominata a Theodoro Gaza, a Cæſalpino lib. 16 de plantis cap. xxiv. vertitur Trichophyllon, & eſt Muſcus marinus hodie apud Medicos, & Aromatarios noſtros Corallina vocatus, cuius Drachma in puluere cum vino eſt in vſu ad enecandos vermes.
Alga paluſtris Apulei vide in verbo Nymphæa.

ALimus vide in verbo Auro.

ALnus eſt Arbor, quæ vulgo Ontano dicitur Cæſalpinus lib. 2. de plantis cap. viii. & Clethra Theoph: alio modo vocatur.
Alnus nigra vide in verbo colycea, vel colytea.

ALopecuros, ſiue Cauda vulpina, quæ dubitatiue ponitur à Cæſalpino lib. 8. de Plantis cap. xvii. an ſit Lanceola, hoc eſt illa plantago vulgaris anguſtifolia, dicta Lanciola. Aloyſius Anguillara libro de ſimplicibus parere. xi. ubi agit de Alopecuro Theophraſti, aſſerit eſſe herbam foliis, & caule tritici, ſed in ſummo caulis caudam uulpinam proferentem; & ego putarem eſſe illam plantam, quæ uulgo, præcipue a noſtris Ruſticis uocatur Grano annebbiato, hoc eſt frumentum a Nebulis deuaſtatum quod producit ſpicas nigras, nam ab aliquibus hodie uocatur etiam Grano Auuolpato, unde poteſt eſſe talis caudá uulpina.

ALſine Media Fuchſii uide in uerbo Lappago.

ALthæa uide in uerbo Hybiſcum, & eſt uulgo il Baiucolo.
Althæa paluſtris eſt Sida eiuſdem Theophraſti, de qua uide in uerbo Sida.

AMaracus, vide in uerbo Helenium, & ſampſucus.

Ama-

AMarago est planta similis Aphacæ ex eodem Theoph. lib. 7. de Hist. plant. cap. xi. & quia gustu amara est tale nomen accepit, ipsamq; describit Cæsalpinus lib. 13. de plantis cap. 8: nomineq; Græco picris ab ipso uocatur.

AMaranthus. vide in uerbo Flammæ flos.

AMerina Forsan est eadem cum salice Amerina, de qua diximus in uerbo Agnon, quod est Agnus castus.

AMomum. cum a Theophrasto lib. 9. de Hist. plant. cap. 7. connumeretur inter medicamenta odorata apta ad vnguenta efficienda, idem erit cum Amomo Plinii.

AMor Hominis. Vide in verbo Lappa

AMpeloprasum vide in verbo Gethyum. & est porrum sponte proueniens,

AMygdala. Arbor est notissima, vulgo Mandorlo dicta.

ANacardus vide in verbo Persea.

ANagyris. vide in verbo Colycea, siue colytea.

ANchusa est planta notissima cuius maxima copia eritur statim supra Balnea Pisana circa radicem Montis D. ui Iuliani post Domum in qua Manet Catena Ferrea vulgo il passo siue il passeggieri vel il Doganieri.

ANdrachne, est portulaca latinorum, siue vulgaris porcellana, siue procacchia.

ANdryala ex Auth. Hist plant. lib. v. cap. xiiii. est illa sonchi species, siue cicerbitæ species, quæ folia spinosa, siue pungentia profert, vulgoq; dici potest cicerbita spinosa.

ANemone. vide in verbo Fremium, dicitur autem Anemoni quia talis flos non aperiatur nisi flante vento.

ANesum, ita legit Cæsalpinus lib. 7. de plantis cap. 2x. & est idem ac Anisum.

ANethum, siue Anetum vt alii legunt, tanquam notum a nobis non consideratur, solum dicimus quod de ipso est illud prouerbium vulgatissimum. Aneta ogni male accheta, quasi quod dissoluendo flatus, omnes morbos sedet, & Aduertendum est quod hodie apud mulierculas idem prouerbium dicitur de vulgari Daneta, quæ est Tanacetum non Anetum.

ANgelica. vide in verbo laserpitium, & magidaris.

ANgina lini, vide in verbo Cadytas, & est cuscuta vulgaris ex Auth. Hist. plant. lib. 16. cap. 23.

ANguina aquatica Lobellij. vide in verbo Dracunculus.

ANisum, est idem ac Anesum supra dictum vulgo Anaci.

ANthedon a Cæsalpino lib. 3. de plantis cap. 14. Azarolus vulgo vocatur, & Pisis Lazzaruole dicuntur eius fructus.

ANthemum est chamæmelum; vulgo camomilla dictum, ex Cæsalpino lib. 12. de plantis cap. 22.

ANthenoides, reducitur ad Oxyacantham, quam aliqui vulgo, prunum album vocant, à Cæsalpino lib. 3. de plantis cap. 13. Sed aduertendum est non esse oxyacantham eiusdem Theophrasti, vt dictum est a nobis in verbo oxyacantha.

ANthirrizon siue Antirrizon est idem ac Antirrhinũ, siue Anarrinum, vel vulgo Bocca di Leone vocatum, & caput vituli, siue caput canis, flos enim ipsius si aperiatur Os Leonis imitatur, & vbi continetur semen videtur caput vitulinnm.

AParine læuis. vide in verbo Lappago
Aparine. siue speronella. vide in verbo Lappa.

APate. vide Fraus herba.

Aphaca genus olerum ex Matthia de Lobel, siue ex Lobellio lib. stirpium Aduersaria Noua cap. de Hedypnoi Plinii alio nomine vocatur Cichorium luteū pratense dentis leonis flore, hieracij folio. vel Cichorium verrucarium. Ex Cæsalpino vero lib. 13. de plantis cap. 3. est Taraxacum, siue dens Leonis. & vulgarium Pisciallетto, sic etiam putauit Aloysius Anguiliara lib. 7. de simplicibus vocato parere cap. de chondrilla.

APhaca legumen, est Veacione, siue Cesarone Italorum ex lobellio lib. obseruationum cap. de Aphaca.

APharca apud Authorem Historiæ Plantarum lib. 2 cap. 16: ex opinione aliorum putatur esse idem ac Lycium, ab aliis Phillyræa Græcorum, a Monspelliensibus Pharmacopęis Bourge spine vocatur hoc est Spina Burgundica, est enim arbor foliis spinosis per ambitum sectis. & rigidiusculis.

APinthion. vide in verbo Absynthium.

APium, de eo aliqua scitu digna diximus in verbo Selinon.

AQuifolia, siue Aquifolium est idem. ac Agrifolium. siue Ruscus Syluestris vel Paliurus secundus Lacunæ, ex Lobellio libro obseruationum cap. de Aquifolio, & vulgo dicitur Pungitopo, de quo vide in verbo Myrtus syluestris, & in uerbo Acarnica Rigua.

AQuilegia, Aquilina. vide in verbo Desiderium, & in verbo Iasione flos.

ARachidna est planta congener cum Orobanche, vt dicit Cæsalpinus lib. 8. de plantis cap. xxxx. & Fabius Columna in sua Ecfrasi minus cognitarum stirpium cap. 136. Æthymologiam talis nominis dicit esse quid compositum ex Araco & Tubere, quasi sit Cicerculæ species radice Tuberosa, Aracos enim est cicerculæ species, Idnon vero est Tuber. Ab aliquibus teste Ioanne Pona in descriptione Montis Baldi fol. 27. Putatur esse Papas indorum, seu Papas peruuianum deuulgatum ab Excellentissimo Gaspare Bahuino in suo Mattheolo ampliato. Licet idem Pona postmodum in fol. 77. eandem Arachidnam proponat, ac Fabius Columna, dicitq; ipsam

oriri in Insulis Cretensibus inter legumina, & frumentacea.

ARacum forsan est Aracus siue Araca, & Cracca maior, vel Vicia syluestris Lobellii, vel Aphaca Dioscoridis ex Dalechampio.

ARacus, aut Cicera. Italice Mocho dicitur, ex Lobellio libro obseruationum cap. de Araco.

ARbor Iudæ est eadem ac Cercis Theophrasti. vt dictum est in verbo Cercis.

ARbor Vitæ, vide in verbo Tuya siue Thuia, quæ reperitur hodie Florentiç in Viridario Admodum Reu. P. Fratris Matthęi Pandolfini in Ecclesia Minoritarum vocata Borgo ogni Santi.

ARbutus, siue Vnedo, Epimelis perperam Galeno, ex Lobellio libro obseruationum cap. de Arbuto, & est abśq; dubio illa parua Arbor Montana, quæ vulgo l'Albarre, siue l'Albatrelle producit, sic putauit Aloysius Anguiilara lib. 4. de simplicibus vocato, Parere, capite de Arbuto, & est idem ac Nelea ex Cæsalpino lib. 3, de plantis cap. 19. vbi dicit quoq; Comaron, & Memecylon. uocari

ARction Græcorum, vide in verbo Lappa.

ARia est Pulcherrima Arbor, quæ hodie reperitur in Viridario P8 lano, & vulgo Italice Matallo dicitur ex Authore Hist. Plāt. lib. 2. cap. 41.

ARnoglossum, siue Melius Agnoglossum est Plantago vulgaris, quæ habet similitudinem in folijs cum Lingua Agni & dicitur Piantaggine, siue cinque nerbi, uel centonerbi.

ARon, vide Arus.

ARrenogonon est Mercurialis herbæ species, quæ valeat ad procreandos masculos ex Cæsalpino lib. 8. de plantis cap. 2 & 30. & Aloysius Anguillara parere 14. seu vltimo, capite pariter vltimo, siue de Phyllo eandem opinionem habuit.

ARundo est Canna vulgaris; reperitur hodie in Viridario Pisano Canna Indica flore Luteo, & flore Rubro, quæ sunt Pulcherrimæ plantæ.

ARus, siue *Aron*, forte apud Theophrastum sunt vnum, & idem. & est Aron magnum vulgo Colocasia vocatum, quod oritur in *Sicilia*, ex Cæsalpino lib. 5. de plantis cap 38. sic etiam videtur putasse *Aloysius Anguillara* lib 7. de simplicibus vocato pa rere, vbi agit de *Aro:* & vt puto est idem ac Faba Ægyptia, de qua suo loco egimus.

ASpalax. Quid sit, difficile est asserere cum solũ Theophrastus dicat lib. 1. de Hist. plant. cap. xi. ipsum habere radices similes Croco perdicio.

ASparagus, & corruda idem sunt ex Cæsalpino lib. 5. de plantis capite xxvi.

ASphodelus, Hastula regia vocata. Vide *Albucum*, siue Albucus.

ASphodelus Luteus minor Lobelli est Iphy Flos, siue Iphyon Theophrasti.

ASplenon. vide in verbo Scolopendria, & est Cetracca vulgaris

ASter *Atticos*, siue *Aster Atticus*. Vide in Verbo Inguinalis, siue Inguinaria.

AStrion, est Herba Stella uulgaris, ut in uerbo Silago dictum est.

AThragena, siue *Atragena* est illa, quę alijs nominibus vocatur Viorna, a Fuchsio Vitis nigra, à mattheolo, & Cordo Clematis altera, Vitis syluestris Dioscoridis, ex Lobellio lib. stirpium *Aduersaria* noua cap. de Viorna. Vitis alba recentiorum, & Vitalba, siue viorne Italorum. Sed aduertendum pro iunioribus, quod non intelligo vitem albam antiquorum, nam ipsa est Bryonia alba & vulgo zucca saluatica. *At* hæc vitis *Alba* Recentiorum, est illa quæ a nonnullis præter supra dicta nomina vocatur etiam Flammula vulgaris, siue flore albo prædita.

Atra-

ATractylis, est idem ac Fusus agrestis a Theodoro Gazza interpretatus, ex Cæsalpino lib. 12. de plantis cap x. & ita vocatur, quia debeat reddere succum sanguineum, vnde Græce phonos, idest cruor dicitur, sed videas rogo in verbo Fusus Agrestis, vbi aliqua scitu digna dicta sunt.

ATragena, vide supra in uerbo Athragena.

ATriplex, est olus notissimum, uulgo spinace dictum. Atriplex marinum, est idem ac Halimus, siue Alimus, de quo uide in uerbo Auro.

AVena. uide in uerbo Crocos.

AVis lingua est folliculus in quo continetur semen Fraxini, siue Bumeliæ.

AVrelia est Eliochryson, siue Aureus flos, Chrysanthemum; Amaranthus Galeni ex Lobellio libro stirpium Aduersaria Noua cap. de Eliochryso, & vt puto est Tignamica vulgaris Etruscorum; quæ ità corrupto vocabulo, vocatur Tignamica à Timiama, quia ad suffitus sit vtilis, vt notat Cæsalpinus lib. 12. de plantis cap. 13. cuius Tignamicæ maxima oritur quantitas non solum in mōtibus Diui Iuliani supra Balnea Pisana, sed etiam supra Mœnia Pisana, & præcipue di Calcesana dicta.

AVreus flos. idem est ac Aurelia, siue Eliochryson, vel Tignamica dicta, quæ oritur supra mœnia pisana ea parte, qua spectant Calcesanam, & alibi.

AVrio, videtur idem cum Auro inferius dicendo, nam Theophrastus lib. 5. de causis plant. cap. 22. ipsi Aurio salsuginem tribuit, sicut reperitur in Auro, hoc est Alimo.

AVro, ità interpretatus est à Theodoro Gaza, & à Cæsalpino lib. 4. de plantis cap. 24. putatur Halimus, siue Alimus vulgaris, estq; olus marittimum à Recentioribus Atriplex marinum dictum, quod à Præceptore meo Amantissimo, Reu. P. Fr. Francisco Malocchio Florentino vocabatur Disciplina Fratrum, quia eius ramuli

muli multis feminibus vndequaq; repleti, pendeant ab Alimo tanquam Disciplinæ, quibus se concutiunt Fratres, ab Arabibus Molocchia vocatur.

BAccellina est Linogenista, vt in uerbo Linogenista dicitur.

BAcolæ, Baculæ, Bagulę. Sunt vnum, & idem ac Mespili humiles, ut suo loco diximus.

BAiucolo, est Althæa vulgaris, siue Maluauiscus, & Hybiscum, vel Malua syluestris, vt suis proprijs locis dictum est. Cur autem Baiucolo vocetur talis ratio a me affertur, nempe quod tota planta Althææ colore Badio, siue Balio, vel Cæsio sit prædita hoc est colore Baio, quasi quod sit Caulis Baius, siue color Baius, me tamen remitto meliori iudicio, & veriori opinioni.

BAlaustium, est Punici mali species syluestris, vt in verbo Punica dictum est.

BAlsamita. vide in verbo Costus.

BAlsamum. de ipso nihil adnotare melius esse existimaui, postquã variæ, ac infinitæ opiniones circumferuntur, quas omnes si vellem recensere, nec annus sufficeret, causa autem fuit, quia hodie verum Balsamum a Paucis, ne dicam a nullis cognoscitur.

BAmmia. vide in uerbo Trionum.

BArdana Latinorum. vide in verbo Lappa. Talis vox Bardana, est meo iudicio, uox corrupta a Dardana Apulei, ut in uerbo Dardana dictum est.

BArypicron, siue Batypicron. uide in uerbo Absynthium.

BAtos est Rubus spinosus totus, qui efficit illos fructus uulgò More uocatos, ex Cæsaipino lib. 3. de plantis cap. xi.

BEchium, uide in uerbo Tiphium.

BEhen, siue Ben uide in uerbo Glans.

Bellis

BEllis cœrulea, uide in uerbo Frondiflora.

BEn siue Bhen, uide uerbo Glans.

BEta, uulgaris est notitiæ, uulgo Bietola dicta differtq; a

BEtula, quæ est Arbor. uulgo Italice Bettola, siue Bidollo uocata.

BIbinella, forsan corrupto uocabulo, á Bipinella, siue Pimpinella, quæ alio nomine Sanguisorba, & uulgo saluastrella dicitur. Ex Cæsalpino lib. 8. de plantis cap. 18. est eadem ac Thryallis, de qua uideas in uerbo Thryallis.

BIpinella est eadem ac Bibinella nuper dicta.

BIslingua. uide in uerbo laurus Alexandrina.

BLechon siue Blechrum ita legit Cæsalpinus lib 11. de plantis cap LX. & uult esse Pulegium uulgare. Pisis dictum Puleggio.

BLitum Tuberosum, uide in uerbo Erysimum, & in verbo Trionum.

BLitum. uulgo Bietulone Pisis dicitur, apud Ianuenses Gioin.

BOnifatia, uide in uerbo Laurus Alexandrina.

BOrissa Cęsalpini est Numularia, ut in uerbo Erestedanum dictum est.

BOttonaria Italorum, uide in uerbo Frondiflora.

BRanca ursina cur ita dicta, uide in uerbo Acantha.

BRassica uulgo il ca olo dicitur, si est Hortensis, & Satina. At si sit Brassica marina uocatur soldanella.

BRium idem est ac Bryon, hoc est Muscus Quernus, Arborumue Villi, muscus saxorum, & Terræ, Vsnea Arabum, & officinarum

narum ex Lobellio lib. obseruationum cap. de musco.

BRomos, siue Bromus, est Festucago Gazę. Ægylops Mattheoli, Vena vana. siue orzo saluatico, ex Lobellio libro stirpium Aduersaria noua cap de Bromo, qui Lobellius facile talem opinionem accepit à Cæsalpino lib. 4. de plantis cap. 47.

BRyon. idem est ac Brium, de quo supra actum est.

BRyonia. Vide in verbo Melothrum.

BRyon marinum. Ex Cæsalpino lib. 16. de planris cap. 19. idem est, ac Lichen. siue Epatica, & vulgo Fegatella dicta.

BVbonaria, bubonion. vide in verbo Inguinalis, siue Inguinaria.

BVlbus. est vox æquiuoca ad omnes illas plantas, quæ Radicem Bulbosam, hoc est adinstar cæpæ factam producunt. vt Verbi gratia. Hyacinthus, Narcissus, Tulipa, Lilium album, & similia.

BVlbina. ità legitur apud Cæsalpinum lib. x. de plantis. cap. x. & est Ornithogalon, siue illa planta, quæ vulgo Latte di Gallina vocatur.

BVmelia. est Fraximus Campestris, à qua extrahitur Manna solutiua ventris dicta di Corpo apud Calabrenses, ex opinione Cæsalpini lib. 2 de plantis cap. 13. Cuius Fraxini semen à medicis Auis lingua, siue Lingua Auis vocatur, quia Folliculi, in quibus continentur semen, desinunt in tenuiorem, & oblongiorem Ligulam.

BVtmos ita legit Aloysius Anguillara, Parere qninto, de simplicibus, capite de Butmo, aitq; esse illam plantam foliis Cyperi, & caule quadrato, quæ in Calabria vocatur hodie Mucanos, forsan corrupto vocabulo Butmos, & est vt puto idem ac

BVtomi caulis, siue Butomon eiusdem Theophrasti quod vocatur à Lobellio libro stirpium Aduersaria noua cap. de Acoro, Acorus nostras palustris à Dodonæo Pseudoiris, siue Iris lutea,

vel

vel alibi putatur esse Sparganium ab eodem Lobeliio loco citato; sed in capite de Sparganio; Idemq; Sparganium putat idem Lobel-bellius esse Phleos eiusdem Theophrasti.

BVxus. Italice Bosso, siue Busso uocatur.

BVxus Asininus. nil aliud est quam Buxus natura spinosus, vt dicit idem Theophrastus lib. 6. de Hist. plant. cap. 3.

CAccatrepola vulgaris. Vide in verbo Phleus, siue Phleum; vbi aliqua scitu digna dicere conati sumus.

CAcotribulus. idem est ac Caccatrepola superius dicta.

CActus. Vide in verbo Cattus, siue Carduus Cattus.

CAdytas. ex Cæsalpino lib. 4 de plantis cap. 41. est eadem ac cuscuta Recentiorum, si sit eadem ac Cadytas Plinii, at ex Authore Hist. plant. lib. xvi. cap. 23. etiam ipsa Cadytas Theophrasti reducitur ad Cuscutam, quę à recentioribus Græcis Cassytha à Latinis cassutha ab Herbarijs & officinis cuscuta, ab aliquibus Podagra lini, quia pedibus lini se se conuoluat, ab aliquibus, Angina lini dicitur, quia adeo se lino illiget, vt videatur linum velle suffocare, non aliter ac facit Angina in hominibus & animalibus.

CAlamus odoratus, facile est idem cum Calamo Aromatico Recentiorum.

CAlendula, siue Caltha Poetarum in Hetruria Fior Rancio vocatur ob colorem aureum Mali aurantii, quem habet, Calendula quia singulis mensibus floret vt testatur Cæsalpinus lib 12 cap. 29. Differtq; á Flore vulgo dicto Fior d'arancio, cum talis ab Arbore Mali Aurantii oriatur.

CAmacia. siue Camatia est species tritici, ex eodem Theoph. lib 8. de Hist. Plantarum cap. 7.

CAmcamum, licet sit nomen apud Theophrastum non descriptum, tamen quia reperitur apud Dioscoridem nostrum lib. 1.

cap xxiii. & forsan temporibus elapsis erat ignotum, tamen Cæsalpinus (cui libenter adhæreo) lib. 2. de plantis cap. 31. asserit esse, Laccam Lachrymam, quam hodie vocamus, Gomma Lacca.

CAmpanula Azzurra recentiorum. Vide in verbo Pothon cœruleum.

CAmpanula Persicifolia nostras. vide in uerbo Iasione flos.

CAnaria, à Lobellio libro stirpium Aduersaria Noua cap. de Ischæmo, vocatur Ischæmon vulgare, Scirpus Tragi, Crus Galli Apulei, Pes Corui, siue Coronopus Apulei, Sanguinella, siue Capriola apud Italos. At ex Cęsalpino lib. 8. de plantis cap. 21. putatur esse eadem, ac Psyllium, seu Cynopa eiusdem Theophrasti, vt patet in verbo Cynopa.

CAncamum. Lege Camcamum.

CAndelabrum Regis, Candela Regis, Candelaria idem sunt ac Verbascum, vt in Verbo Lanaria.

CAninæ sentis fructus. forsan est idem ac Canirubus, siue Rubus caninus infra dicendus, loquendo de fructu; sic videtur asserere Cæsalpinus lib. 3. de plantis cap. x.

CAnirubus, siue Rubus Caninus. est Rubi Genus, in quo Rosa nascitur, & Italice Rouo Canino vocatur ex Authore Hist. plant. lib. 2. cap. 1. & ego dicerem esse illum fructicem qui oritur locis syluestribus, & profert post Rosam syluestrem vel candidam, vel ex candido subrubentem, fructum oblongum nucleo oliuæ similem, qui per maturitatem fuluescit, & floccos intus continet: hoc est Rosa saluatica, quasi eius fructus sit Rubus cómedendus Canibus

CAnna Indica. Vide in verbo Arundo.

CApillus veneris, vulgaris notitiæ, Capeluenere uocatus, & est idem, ac Adiantum.

CApparis, tanquam planta notissima. a nobis, non obseruatur.

Capri-

CAprificus. est Ficus sylvestris ex semine orta, non autem alio modo, vt dicit idem Theophrastus lib. 2. de Hist. plant. c. 3.

CApifolium. Vide in verbo centeria, & est matrisylua officinarum, vide & in Verbo. Volucrum.

CAprinus, ità legitur corrupte in Cæsare Odono Bononiensi, cum legi debeat Carpinus, vt infra.

CApriola. vide in Verbo canaria.

CApsicum. Vide in verbo Piper.

CApur monachi, caput vituli, est idem ac Antirrhinum, siue Os Leonis, & vulgo Bocca di leone, vt diximus in verbo Anthirrizon.

CArdamomum. eius semen reperitur apud Aromatarios, & ex Cæsalpino lib. 9 de plantis cap. 37. videtur esse de genere seminis ex Asaro, seu Bacchara collecti; & seritur leguminum modo in India orientali. Ad tale Cardamomum idem Cæsalpinus reducit etiam alterum genus, quod apud Aromatarios Grana Paradisi vocatur, à quibusdam Meleghetta, quia tale semen habeat similitudinem cum Melica, idest saggina vulgari. Tertium Cardamomum deniq; dicit idem Cæsalpinus vocari Nigellam citrinam.

CArdiaca. Vide in uerbo Marrubium, quæ Cardiaca à Cæsalpino lib. xi de plantis cap. 23. reducitur & optime ad Alysson Galeni.

CArdones vulgares Vide in uerbo Carduus cattus: & in verbo Pternix.

CArlina vulgaris, est eadem ac chamæleon albus, de quo suo loco dictum est, vocatur autem Carlina, quia Carolo Regi Francorum ostensa fuerit esse præstantissimum Remedium ad pestem arcendam.

CArduus. est uox æquiuoca ad plures plantas, sed in uniuersali nil aliud est quam Carduus vulgatissimus viarum.

CArduus Benedictus. Vide Cnicus syluestris.

CArduus Cattus, siue simpliciter Cattus, sunt illæ plantæ, quas uulgo Cardones uocamus, quorum caules, uel potius foliorum pediculi terra obruti hyeme in cibos ueniunt crudi, a cute emundati, candidi enim sunt, succosi, & gustui grati, ut dicit Cæsalpinus lib. 13. de plantis cap 35. eandem opinionem habuit Aloysius Anguillara Parere octauo cap. de Scolymo.

CArduus echinatus Gesneri. Vide in uerbo Rhuttum.

CArduus Lacteus, siue Lac Diuæ Mariæ uocatum. Vide Acanus.

CArduus Pinea, siue Carduus Pineus. est chamæleon non Aculeatus Lobellii, siue Iacea montana, & Carduus Pinus Narbonensium, ut dicit Lobellius libro obseruationum cap. de chamæleone ex Cæsalpino vero lib. 13 de plantis cap 34. connumeratur inter genera Cardui satiui, est autem.

CArduus satiuus, idem ac Cynara, & uulgo Carcioffus dicitur.

CArduus Sanctus. Vide Cnicus syiuestris, & eius aqua destillata est in vsu ad uermes enecandos in pueris, si tres vel quatuor vnciæ summantur per plures dies.

CArpinus á Trago putatur esse Arbor Italice Fusano vocata, & hodie Fusaggine, & ex Lobellio est Euonymus eiusdem Theophrasti, de quo uide suo loco in uerbo Euonymus. Cæsalpinus lib. 2. cap. 12. de plantis, & Author Hist. plant. lib. 1. c. 28. reduxerunt Carpinum ad Acer campestre, vt in verbo Acer dicere conati sumus.

CArthamus uide cnecum. & est Zaffran matto, e saracinesco.

CAruba vulgaris fructus commestibilis, est Siliqua ceronia, cuius duæ Arbores virescunt in montibus Corliani dictis, vbi sunt

Posses-

Possessiones Perillustrium ciuium Pisanorum del Seta.

CArya, est Nux vulgaris, Noce dicta. ex Cæsalpino lib. 2, de plantis cap. v. & Carya vocatur. quia capitis grauedinem ob odoris grauitatem proferat, & forsan Nux, à Nocendo, quia noceat non solum odor eius, sed etiam vmbra: ac substantia ipsius.

CAsia, est pars, siue cortex Primus Cannellæ vulgaris. & præcipue illa Cannella, quæ ad saporem relinquit aliquam Mucellagginem, siue viscositatem, vel tenacitatem, & vt vno verbo dicam cum Cæsalpino lib. 2. de plantis cap. 24. differt in crassitie, & bonitate à Cinamomo, nam casia est cortex crassus, & non ita bonus. vt est cinamomum.

CAssia Fistula, siue Cassia in canna vulgaris. Vide in verbo Siliqua Ficus Ægyptia.

CAssytha, siue cassutha, Vide in verbo Cadytas satis copiosè.

CAsta, ità vertit Theodorus Gaza, & alij legunt Dulcisida. ex Cæsalpino lib. 15. de plantis cap 36, est Pæonia vulgaris.

CAstanea equina. Vide in verbo Nux Castanea.

CAttus. Vide Carduus Cattus supra.

CAucalis Recentiorum. Vide in verbo Pes Gallinaceus.

CAuda equina. Vide Hippuris. vbi est obseruatio pulchra, & scitu digna.

CAuda vulpina, seu vulpis, est species Graminis, & à Lobellio libro stirpium Aduersaria Noua cap. de Cauda vulpis putatur alio nomine esse Alopecuros Theophrasti At dubitatiue proponitur à Cæsalpino lib. 8. de plantis cap. 17. Aloysius Anguillara Patere xi. cap. de Alopecuro Theoph. putauit esse tritici genus quod producit in summitate caulis caudam vulpinam, quodq; ego puto esse il Grano Annebbiato, siue vt alij vocant auuolpato, vt in verbo Alopecuros.

Ceano-

CEanothos, est Cardui species, quam aliqui Stoppione denominant, quia veluti Stuppa cano Pappo abundet, agrosq; impleat, quæq; in dubium vertitur a Fabio Columna in sua Ecfrasi minus cognitarum, & Rariorum stirpium cap, 12 an sit eadem cum illa planta, quæ à Patauinis Astone dicitur, ex Anguillara libro de simplicibus Parere 8. cap. de Spina Ceanotho.

CEdria, Cedrium. aliquando ab Authoribus confunduntur, sed proprie Cedria est Resina ex cedro profluens, siue destillans, ex Authore Hist. plant. lib. 1. cap. xi.

CEdrus ex opinione Cæsalpini lib. 3. de plantis cap. 58. est Iuniperus nostras vulgaris, quæ Ginepro vocatur, sic putauit Aloysius Anguillara Parere 2. cap. de Iunipero.

CEdrus lycia. Vide in verbo Tuya.

CElastrus putatur ab Authore Hist, Plant. libro 2, cap. 17. esse idem, ac Alaternus à Carolo Clusio descriptus lib. 1. de Rariorum Stirpium per Hispanias obseruatarum cap. 14. qui dicit à Lucensibus vocari vulgo Iletro; & ab Aloysio Anguillara Alaterna, siue Linterna.

CEltis. ex Cæsalpino lib. 2. de plantis cap 52. est Lotus Arbor, quam in Hetruria Bagattum vocant, & extra Pisas à Rusticis Auanensibus, vulgo in Auane, Fra Giracò vocatur; & quia inter fructus viles connumeratur, hinc factum est forsan, vt puto, quod sit ortum illud Prouerbium Hetruscum, Non vale vn Bagatto, siue vn Bagattino. hoc est fere nihil valet; vnde ab aliquibus aliis Bagolaro vocatur.

CEnchron, idest millium, ita interprætatur à Cæsalpino lib. 4. de plantis cap. 51. nos dicimus vulgo il miglio.

CEntaurium. vel est Maius, vel Minus, vel Medium; & vnumquodq; ex his varia nomina sortitum est, nam

CEntaurium Maius, siue centaurea maior ab Amato Lusitano lib. 3. supra Dioscoridem enarratione sexta, vocatur Rhaponticum

cum commune, siue Rhaponticum officinarum, sed perperam. Cur autem vocetur centaurium, ratio varia est, nam vel à chirone cẽtauro ortũ duxisse aiũt, teste Ioãne Ruellio lib. 3. de Natura stirpiũ cap 6. quia tali planta Chiron curatus fuerit, vel quia in Pelio Monte à Chirone Centauro talis planta inuenta fuerit: vel deniq: quia à centum aureis originem sumpserit, quasi quod centaurea adeo sit prę stans in suis viribus, vt centum nummi aurei pro illa emenda non sufficiant, vt asserit Theodoricus Dorstenius libro de Herbis cæterisq; simplicibus. Medicamentis cap. de centaurio.

CEntaurium minus, aliis nominibus Gręcis vocatur à Dioscoride lib. 3. cap. 7. Limnæsion, & Limnæum, eo quia talis planta Rigua amet loca, & circa aquarum Palludes, quas Gręci Limas dicunt. A latinis vocatur etiam Fel Terræ ob suam amaritudinem quam habet. Et Febrifuga, quia febres fugere faciat, easq; procul a corpore pellat, vt dicit Theodoricus Dorstenius loco citato, & Leonarthus Fuchsius lib de plant. Hist. cap. 145. Amatus deniq: Lusitanus lib. 3. supra Dioscoridem enarratione 7. dicit ab Italis vocari Biondellam, quia vt testatur Cęsalpinus lib. 6. de plantis cap 63. circa medium. Mulieres vtantur tali planta ad efficiendos capillos flauos, vulgo Biondi dictos.

CEntaurium Medium, siue Centaurea media, à nonnullis vocatur Valeriana media, seu Tertia, & à nonnullis recentioribus Herbariis inter Saponarias recensetur, vel quia si cum floribus ipsius & aqua abluantur manus. Saponatam vulgo dictam efficiant, vel quia folia ipsius sint similia cum foliis saponarię vulgaris. Talis centaurea media, siue Tertia frequentissima est in omnibus Mœniis Pisanis, vt optime notat Cæsalpinus lib 4. de plantis cap. 5.

CEnteria a Cæsalpino lib. 9. de plantis cap. 43. reducitur ad plantas Theophrasti, & putat esse illam plantam, quæ Macrisylua appellatur, & à recentioribus Caprifolium, vulgo Abbraccia Bosco dicitur, quia suis Capreolis aliis plantis adhæret; cuius oritur quantitas maxima in Luco paruo siue Nemoribus Paruis vocatis, vulgo la Ragnaia da Santo Apollinare.

CEntimorbia. Vide in verbo Erestedanum.

Cera-

CErasus. tanquam arbor notissima a me non obseruatur; efficit enim illos fructus commestibiles vulgo dictos ciriegie, siue ceragie, & ipsarum variæ sunt species omnibus notę.

CErcis. an sit Arbor Iudæ, vel Siliqua syluestris Clusii, vel Acacia Matteoli, ex Lobellio lib. obseruationum cap. de Arbore Iudæ. A Cęsalpino lib. 3. de plantis cap. 29. videtur reduci ad Siliquam syluestrem, quam ego puto esse sine dubio Arborem Iudæ Recentiorum, & sic coincidit opinio Cæsalpini cum illa nuper dicta Lobellii, & quidem vt verum fatear Lobellius suam opinionem accepit à Cæsalpino, licet ipsum non citet. Quod autem Siliqua syluestris esset Arbor Iudæ, ipsi Cęsalpino notum non fuit, vt obseruare potui.

CErefolium, est idem ac Montapium. Ex Cæsalpino, lib. 7. de plantis cap. 41.

CErinthus, si est idem cum Cerinthe Plinii, nota planta est, quæ Pulmonaria Romana alio nomine vocatur a Cæsalpino lib. xi. de plantis cap. 6. quia folia maculis albis delineata emittit. Theophrastus enim lib. 6. de Historia Plant. cap. 7. inter plantas æstiuas connumerat Cerinthum. Huius maxima copia oritur loco dicto à Pappiana secus agrorum margines, sic & loco dicto a Mezzana, qua fit iter ad Vallem Calcensem.

CEronia. Arbor est illa, quæ profert vulgares Carubias, siue le Carube. ex Cæsalpino lib. 3. de Plantis Cap. XXVII.

CErrus inter Glandiferas Arbores Secundo loco connumeratur a Cæsalpino lib. 2. de Plantis Cap 2.

CEtrach Arabum. vide in verbo Scolopendria.

Chachrydias est tritici species sic vocata ab eodem Theoph. lib. 8. de Hist. Plant. cap. 4.

CHalbana, videtur quid diuersum a Chalbano, cum idem Theophrastus lib. 9. de Hist. Plant. cap. 1. dicat Chalbana lachrymā parit vt Ballamū & aliud simile, at lib. codē sed in cap. 7. dicit Theoph.

CHalbanum. grauius olet, & Medicinæ potius conuenit, quod si velimus asserere Chalbanum, esse idem cum Galbano tunc dicere possumus esse Resinam, siue succū Nascentis in syria Ferulæ vt testatur Dioscorides lib. 3 cap. 81. & dicitur Galbanum ab Albedine quam habet, sic refert Ioannes Ruellius lib. 3. de natura stirpium cap. 53. vnde apud Martialem Galbanatus dicebatur, qui Galbano indutus esset, hoc est colore albo.

CHalceios. Vide æraria.

CHamæbatos, est idem, ac Humi Rubus a Theodoro Gaza interpretatus. & ex Cæsalpino lib. 14. de plantis cap. 18. est Fragaria vulgaris, quæ producit illos fructus, qui vulgo Fragole, siue Fraule vocantur.

CHamædryoides repens. Vide in verbo Lappago.

CGamædrys. Vide in verbo Trisago.

CHamælæa. Vide in verbo Cneorus candida Theophrasti.

CHamęleon albus, est idem ac vernilago a Theodoro Gaza interpretata, & est Carlina vulgi, ex Cæsalpino lib. 13 de plantis cap. 38. Vide in verbo Acanus.

CHamęleon niger, à Cęsalpino lib. 13. de plantis cap. 39. putatur esse Alterum genus Carlinæ, quod oritur in Alpibus Pistoriensibus, ac Lucensibus, foliis angustioribus, ac sit vera prima Carlina.

CHamæmelum. est idem ac Anthemum. & vulgo Camomilla.

CHandralia vt vertit Theodorus Gaza, siue

CHandras, vt legit Cæsalpinus lib. 13. de plantis cap. 4. est Chondrilla vulgaris.

CHartamus. Vide in verbo cnecon, siue cnicum, & est Zaffran matto.

CHironium. Vide in verbo Panax Chironium.

CHrysoxillon, si à Theophrasto enumeratur inter plantas, vtiq; est Coccigria eiusdem Theophrasti, siue Cotinus Plinii, vel Rhus *Allobrogum*. vt dicit Lobellius libro obseruationum cap. de Coccigria.

CIcer. est Legumen notissimum, ad cibaria vtile. vulgo Cecio. & est Erebinthon Græcorum ex Cæsalpino lib. 6. de plantis cap. 13.

CIcera est eadem, ac Aracus. Italice Mocho dicitur.

CIcerbita spinosa. Vide in verbo *Andryala*.

CIcercula. Vide in verbo Lathyron.

CIchoreacea. sunt omnia illa genera herbarum oleracearum: quę vulgo Radicchio dicuntur, vel ad ipsum reducuntur.

CIcoreum Romanum. vide in verbo Fraus herba.

CIcuta. cum sit planta notissima derelinquitur à nobis sine obseruatione, nisi dicamus ipsam à Galeno lib 7 de simplicium Medicamentorum facultatibus cap. de Conio, nomine Græco vocari Conion.

CInamomum. est vera, optima, & electa cannella vulgarium Aromatariorum, & differt a Casia, quia Cinamomum est tenuius, gratius, ac Iucundius Casia, vt ex Cæsalpino lib. 2. de plantis cap. 24. asserere possumus.

CIssus. idest Hedera.

CItrus. Vide in verbo Malus Medica, vel Malus Persica.

CIx, Ciyx, ad Bulborum genus reducitur ab eodem Theoph. lib. 7. de Hist. plant. cap. 13.

Clauus

CLauus Herculis, Clauus veneris. Vide in verbo Nymphęa.

CLematis. Vide in verbo Vinca Peruinca.
CLematis altera. Vide in verbo *Athragena*.

CLethra, idest *Alnus*, quam vulgus Ontanum vocat. Cæsalpinus lib. 2. de plantis cap. 8.

CLinotrochon hoc est Lecticrotarium. Vide in verbo Lecticrotaria.

CNecum. Si sit idem cum *Cnico*, erit illa planta, quæ ab officinis *Carthamus* vocatur, & Italice *Zaffran* Matto, saluatico, & saracinesco.

CNeorus est ille frutex, quem Hispani Micciam vocant, quia eius rami siccati ignem conseruant, & funiculos ex his parant Miccias dictos ad Tormenta Bellica igne exoneranda, sic nos docet Cæsalpinus lib. 4. de plantis cap. 9. & aduertas, quod tale caput non est in suo loco, sed in fine operis, hoc est post finem libri 16. de plantis. Ego autem dico quod talis frutex Cneorus vocatus est Sanamunda recentiorum Herbariorum. NOTA quod ipsa est præstantissimum Remedium ad Hæmorroidarum dolores sęuissimos curandos, si talis sanamunda decoquatur cum vino rubro; & pars dolens abluatur tali decocto tepido. Taleq; secretum accepi à Præceptore meo *Amantissimo* Fratre Francisco Malocchio viridari Pisani Custode Diligentissimo, & non solum Simplicista, sed etiam *Antiquario* Celeberrimo, cuius tempore multa simplicia, ac forsan ab aliis non visa reperiebãtur in viridario. vt testis Loclupetissimus est Ioannes Pona Veronensis in descriptione Montis Baldi, vbi agit de vero chrysogono Dioscoridis, ibiq; Fatetur Pona à tali Præceptore meo talem plantam chrysogoni accepisse.

CNeorus candida Theophrasti, ex Cæsalpino lib. 4. de plantis cap. 7. videtur reduci ad Chamæleam, hoc est oleam paruam, quam in *Alpibus* oliuellam vocant, estq; Mezereon *Arabum*, sicut est & Thymelæa, ex eodem Cæsalpino loco citato cap 8.

CNicum, siue Cnicus est Italorum Zaffrano matto, saluatico, & saracinesco, quod apud Medicos Chartamum vocatur.

CNicus syluestris putatur a Cęsalpino lib. 13. de plantis cap. 47. esse Carduus Sanctus. siue Benedictus vulgo vocatus. ab Aloysio vero Anguillara Parere octauo cap. de Atractyli putatur esse Atractylis vulgaris.

COccigria. ex Lobellio lib. obseruationum cap. de coccigria, est cotinus Plinii, & Rhus Allobrogum, siue chrysoxillon Theophrasti, ab Auth. Hist. Plant. lib. 2. cap. 34. legitur

COggygria, siue coggyria, quæ est arbor apud nos vulgo Scotano vocata, & in viridario Pisano reperitur in secundo Spalto vocato il Quadro della Chiesa, quia est apud Ecclesiam Dirutam. quæ olim vocabatur Santo Lorenzo in Pellicceria.

COccimelea, à Gaza interpætatur Prunus, ex Auth. Hist. plant. lib. 2. cap. 34.

COlchicum Luteum Latinorum. Vide in verbo Lirium.

COlocasia vulgarium. est Aron magnum, siue Faba Ægyptia Recentiorum.

Colocynthis. Vide in verbò Fel terrę.

COlumbina. Vide Desiderium.

COlutea. Describitur à Lobellio libro obseruationum cap. proprio, illa quæ vessicas gerit, & à recentioribus Herbariis Colutea vessicaria vocatur, à Cæsalpino lib. 3 de plantis cap. 38. Emerus vulgo appellatur, & Liparea Theoph. alio nomine vocatur ab Auth. Hist. plant. lib. 2. cap. 49.

COlycea, vel vt alii legunt

COlytea, putatur (à Lobellio lib. obseruationum cap. de Alnò) Alnus nigra, siue Frangula Latinorum. A Cæsalpino autem lib. 5.

lib. 3 de plantis cap. 31. videtur esse redacta ad Anagyrim, quę ab aliquibus Faseolaria vocatur, siue Faua inuersa, & Faua Lupina, ex Aloysio Anguillara libro de simplicibus Parere 4. cap. de Anagyride.

COmacum. cum tempore Theophrasti ex india & Arabia deportaretur, & ad vnguenta idoneum esset, vt testatur lib. 9. de Hist. plant. cap. 7. de ipso adhuc nil obseruare potuimus.

COmaron. est idem, ac Arbutus, sic ait Cæsalpinus lib. 3. de plantis cap. 19. de qua Arbuto vide supra in verbo Arbutus, quod si velimus sectari opinionem Apulei, vt refert Author Hist. plant. lib. 5. cap. 27. vtiq; erit Fragaria, quæ vulgares Fragolas siue Fraulas profert.

COnion. Vide in verbo cicuta, sunt enim vnum & idem.

COnopa, ita legit Hermolaus Barbarus. Sed Cæsalpinus vertit Cynopa, & est Psyllium, seu illa planta, ex cuius semine fit Mucillago. siue Loch de Psyllio ad Tussim sedandam, vt diximus in verbo Cynopa.

COnsecratix, quam vertit Theodorus Gaza, est iris, siue Lilium purpureum, cuius radix ab Etruscis, & præcipue á Florentinis Ghiaggiolo dicitur, ex Cęsalpino lib. 10. de plantis cap. 36.

COnsiligo Mattheoli Senēsis, est elleborus Ferulaceus Theophrasti, ita vocatus á Matthia de Lobel lib. de stirpiū obseruatione.

COnuoluulus cœruleus. vide in verbo Pothon cœruleum.
Conuoluulus vulgaris. vide in verbo Smilax Læuis.

COrallina. Vide. in verbo Alga crinito folio, & est idem ac Tricophyllon ita interprætatum á Cæsalpino lib. 16. de plantis cap. 24. & Muscus Marinus Recentiorum Medicorum.

COrallium album officinarum, Vide Ebur fossile Theophrasti.

Co-

COrchorus, Si sit idem cum Corchoro Plinii. Putatur esse Anagallis mas Phœnicea, siue Molocchia Serapionis a Lobellio libro stirpium Aduersaria Noua cap. de Anagallide, & ex Cæsalpino lib. 5. de plantis cap. 15. reducitur ad genus Solani siue Solatri apud Græcos Stychnon vocati, & in libro sexto de plantis cap. 59. idem Cæsalpinus videtur habere opinionem Lobellii, quod sit Anagallis herbula, vel forsan melius Lobellius talem opinionem accepit à Cæsalpino.

COriamnon, siue Corianum, & Corion, vel Coriandrum. Nota Planta est, quæ vulgo il Coriandolo vocatur.

COriannisum, inter olera connumeratur à Theophrasto lib. 1. de Hist. Plantarum cap 18. & nudo semine prouenire dicitur, & si licet vim & æthymologiam nominis considerare, videtur dicendum quod sit Planta congener cum coriandro & cum Aniso, nam

COrianum, siue Coriamnon, & Corion, est idem ac Coriandrum.

COrion, Coriamnum. siue Corianum, est idem ac Coriandrum.

COrnus mas, est il corgniolo vulgarium.

COrnus fœmina, est forsan virga Sanguinaria; quam ego puto esse il Sanguino, vel Sanguine Recentiorum, nam in foliis maximam habet similitudinem cum Corneolo vulgari.

COronopus Apulei. Vide in verbo Canaria.

COronopus Recentiorum est Herba stella vulgaris, vt in verbo Silago dictum est.

COrruda. inter species Asparagi connumeratur ab omnibus Herbariis.

COrsium. est Radix Loti Ægyptii vt testatur Theoph. lib. 2. de causis Plantarum, cap. 26. vt in verbo Lotus Ægyptia dictum est.

COstus. Adeo vario modo describitur ab Herbariis, vt quilibet Author suum Costum diuersum ab alio demonstret, sed vide copiosius apud Lobellium libro stirpium Aduersaria Noua cap. de costo. Hoc autem mihi silentio inuoluere non placuit, quod de Herba vulgari apud nos vocata Herba Sancta Maria dicunt multi Recentiores Herbarii nempe ipsam vocari posse Costum Hortensem, quia sit Amara, ut uoluit illa uulgata opinio, quod reperiatut Costus Dulcis, & Amarus, Mattheolus Senensis lib. 3. supra Diosc. cap. 35. Mentham Græcam uocat, siue saracenicam, quia apud Gręcos uel saracenos sit frequens Dodonæus ex Auth. Hist. plant. lib. 5. cap. 50. Balsamitam uocat quia forsan Balsami odorem præseferat: & Deniq; Cæsalpinus lib. 12. de plantis cap. 12. reducit illam ad Melilotum tum Dioscoridis; tum Plinii. Amatus Lusitanus lib. 1. supra Dioscoridem enarratione 15. dicit à Græcis Pseudocoston uocari hoc est Latine Costum Falsum, à quibusdam in Etruria dicitur Saluia Romana, ab aliis Lassulata.

CRacca Maior, est idem ac Aracum, uel Vicia syluestris Lobellii.

CRanium. itá legit Cæsalpinus lib. 16. de plantis cap. 39. & est illud genus fungi, quod oritur sine radice, & Pezicæ à Plinio uocantur lib. 19 cap. 3. a nostris hodie Puzę dicuntur, forsan ut puto quia quando sunt corruptę intus, si digitis frangantur, fœtidum flatum siue crepitum fœtentem emittant, unde postmodum uulgo Vescie dicuntur, quæ elixæ cum iure adiecto calamento, siue uulgo Niepitella commeduntur; & á Fabio Columna in sua Ecfrasi minus cognitarum, & Rariorum stirpium cap. 161. Lupicrepitus uocantur, unde etiam hodie ab aliquibus sunt uocatę vescie di Lupo.

CRatęgus dubitatiue proponitur a Lobellio lib. obseruationum cap. de Iuiube Arabum, quod sit Zizypha Græcotum Paliurus Aphricanus Theophrasti, Lotus secundus Polybii. uulgo il Zizolo, siue le Giuggiole.

Ex opinione quorundam putatur esse Populus Libyca, siue Libyca Plinii, & Italorum Populo Moutana, ut apud Lobellium libro citato cap. de Populo Libyca.

Ex opinione Anguillarę putatur esse Sorbus Torminalis Plinii, sic refert loco citato Lobellius cap. de Sorbo Torminali, & talem opinionem

nionem quoq; habuit Cæsalpinus lib. 3. de plantis. cap. 64. siue ultimo, licet dicat. Videri.

CRatęum. ex Cæsalpino lib. 4. de plantis cap 35. putatur esse Hydropiper, siue piper aquaticum: uel persicaria minor, hoc est illa persicaria, quæ ad saporem calefacit, & vrit Linguam, quæq; persicaria urens à Recentioribus Herbariis uocatur, cuius maxima quantitas reperitur in Foueis agrorum circa pisas, præcipue qua fit iter à porta Lucensi uersus Ecclesiam Diui Lazzari.

CRepis. est illa planta Terracrepulus dictus ex Cæsalpino lib. 13 de plātis cap. 14. hodie Pisis vocatur Latti crepoli, & oritur in Montibus Diui Iuliani supra Balnea Pisana, sic in Montibus Auanæ, & vecchiani trans Flumen Serchio uocatum, e quibus locis defertur ad nos, emiturq; pro insalatucie cum aliijs Herbis Montanis.

CRocos. si ità legitur apud Theophrastum. est Auena ex Theodoro Gaza, ut notat Cæsalpinus lib 4 de Plantis cap. 47. sed melius Bromos (ut putat Cæsalpinus) est legendum.

CRocus. notus Bulbus est, uulgo Zaffrano Domestico uocatus.

CRus Galli Apulei. Vide in uerbo Canaria.

CVciofera. Si licet hic meam proferre sententiam, ex uerbis quæ profert Theophrastus lib. 4. de Hist. plant. cap. 2. elicere facile possem illam Palmam quæ est in viridario Pisano in Areola Plantarum venenatarum circa Sepem esse ueram Cuciferā, Theophrasti, ipsa enim uere habet similitudinem cum Palma Manus, folia enim ipsius sunt lata ad instar Manus Hominis apertæ: Sed tamen meliori iudicio, ac ueriori Censuræ hanc meam opinionem derelinquo.

CVcumer. Vide in uerbo Sicya.

CVcumis Asininus. est idem ac Cucumis syluestris, ut infra dicemus.

CVcumis. Vide in uerbo Sicya.

Cucu-

CVcumis syluestris, idem est ac Cucumis Asininus ex Lobellio lib. stirpiũ Aduersaria Noua c.de Cucumere syluestri vulgo Co gomero Asinino. Cuius maximam quantitatem recordor me vidisse in possessionibus Admodum Reuerendorum Fratrum vocatorum Certosini loco dicto à Montecchio, quando Artem Medicam profitebar Vico Pisano, Valle Butensi, Blentinæ, & Calcinaię.

CVcurbita. nota est, vulgo Zucca Vocata. Cucurbita amara, Cucurbita syluestris, est coloquintida officinarum, de qua vide in verbo Fel Terræ.

CVminum, vulgo notum, & Comino vocatum.

CVpressus. Arbor notissima, vulgo Cipresso dicta.

CVscuta. vide copiose in verbo Cadytas.

CVscuta. vide in verbo Eruanga, & Orobancha.

CYanus est Fioralisus vulgi. Vide in verbo Struthium

CYclaminus. Vide in uerbo Malum Terræ, vel Tuber Terrę.

CYnopa. ita Legit Cæsalpinus lib 8. de plantis cap. 21. & esse psyllium apd Dioscoridem, quod ad recẽtioribus Pulicaria vocatur, ex cuius semine fit illud Loch Psyllij uulgatissimum ad tussim sedandam, & Theodorus Gaza modo Oculũ Canis vertit, modo Canariam. Vide in uerbo Canaria.

CYparissus, est eadem, ac Cupressus.

CYpirus ex Cæsalpino lib. 4. de plantis cap 61. ita interpretatur, quem Theodorus Gaza Gladiolũ vertit; & est illa plãta quæ a Senēsibus Monacuccie dicitur, forsan quia eius flos videatur factus ad imitationẽ Monialiũ, quæ gerũt circa caput & collũ Linteamina tenuia, & uide ĩ uerbo Ensis Radix: & in uerbo Gladiolus

CYtisus. est Frutex notus, & si datur Cytisus secundus apud Theophrastum, vt uoluit Lobellius lib. obseruationum cap.

de Anagyri, ex opinione Guillandini est ille frutex, qui uocatur Anagyris minus fœtens, uel laburnum, siue Anagyris secundus Mattheoli, à Hebenus secundus Theophrasti, uel Faba inuersa Cordi. Hoc autem obseruaui (in Antiqua Valle Butensi, loco dicto a Buti supra locum vocatum in Castello, vbi est Flumen paruulum dictum il Rio, & præcipue ubi sunt Possessiones per Illustris ac Excellentissimi D. Petri Toninij, Patricii Pisani. I. V. D. & Annonæ Pisanæ Vrbis Præfecti Diligentissimi, cui à Nostris Celsitudinibus Serenissimis multa negocia maximi ponderis commissa sunt, honestoq; stipendio illa Gubernat.) Hoc inquam obseruaui tali loco adesse, & reperiri verum & Germanum Cytisum primum forsan à paucis visum. Quo loco obseruaui etiam multas alias plãtas pulcherrimas tum supra dictas, tum inferius dicendas.

DAmigella. vide in uerbo Nigella

DAphne. est Laurus Latinorum, vulgo Alloro, siue Orbaco dicta.

DAphne agria, est Laurus Syluestris, siue Laurus Tinus, vel lagro, vel Lentaggine uulgi, uel Laurus perpetuo virens, vt dicit Author Historię plant. lib 2. cap. 43.

DArdana Apulei, est eadem ac Bardana vulgarium, siue Lappa & ortum habet uel a Dardano quodam Mago, a quo Dardanię artes magicę, uel a Regione Dardania vbi est Vrbs Dardana hoc est Troia fundata a Dardano filio Electrę ac Iouis, quo loci Oritur talis plantæ maxima copia.

DAucum Theophrasti, a Theodoro Gaza vertitur Pastinaca, vt notat Cæsalpinus lib. 7. de plantis cap. 20. & est Carota vulgaris ex eodem Cæsalpino.

DEndrolibanon. est vulgo L'incenso, ut in uerbo Thus diximus.

DEns Leonis, est idem ac Taraxacum, vulgo Piscialetto. de quo in uerbo Aphaca genus olerum.

Des

DEsiderium, siue pothos, putatur esse Aquilina, siue Aquilegia Recentiorum, aut Columbina, siue Leontostomi Gesneri, siue Leo Herba Dodonæi, ex Lobellio libro stirpium Aduersaria noua cap. de Aquilina. At Cæsalpinus libro .x. de plant. cap 5. putauit esse illam speciem Bulbi Syluestris, seu Cępę Caninę, aut Anguinæ, quæ Flosculos albos producit, & Oriens in palustribus floret æstate. Aliqui ex Recentioribus herbariis putarunt esse Liliū Conualliū quod uulgo Mughetto uocatur; dicitur autē lilium conuallium quia in Conuallibus vmbrosis sponte nascatur, ex Auth. Hist. plant. lib. 7. cap. 26 & ego puto quod vocetur Mughetto forsan corrupto vocabulo a Muschetto quia habeat odorem Musci, sed sit Muscus paruus, reuera tamen est nomen corruptum a nomine Gallico Muguet uocato.

DIctamum, & præcipue cretense. Hodie notum est apud Aromatarios, & ex Insula Creta defertur apud nos.

DIgitus Veneris. vide in uerbo Nymphæa.

DIos Anthos. hoc est Garyophyllus Syluestris. vt in uerbo Iouis Flos dictum est.

DIospyron. putatur esse Loti Arboris fructus a Cæsalpino lib. 2. de plantis cap. vltimo in fine, quasi dicat Iouis Triticum non Iouis Flammam, vt Thedotus Gaza vertit. & ab Auth. Hist. plant. lib 3. cap. 21. Diospyros uocatur etiam Faba Græca, siue Pseudolotus Mattheoli.

DIpsacus. uide in Verbo Spina Dipsás.

DIsciplina Fratrum, est eadem, ac Alimus. de qua vide in uerbo Auro.

Disciplina vulgaris est Amarāthi species ut in uerbo Flamę Flos.

DOlatilia Ligna, sunt illę Arbores, siue Frutices, ex quibus oriuntur ramuli flexiles, & apti ad circulos Ligneos efficiendos pro dolijs, vulgóq; Cerchi da Botte dicuntur.

DOlichus, interpretatur a Cæsalpino lib. 6. de plantis cap. 3. Pisolus, vulgo Peso, siue pisello uocatus.

DOronicum. vide in uerbo Theliphonum.

DRacontea. Dracontium sunt vnum & idem ac

DRacunculus. si est idem cum Dracunculo Plinij, est illa Plāta, quę *Anguina Aquatica* uocatur a Lobellio lib. stirpium Aduersaria noua cap. proprio: Ex mente uero Cæsalpini lib. 5 de plant. cap. 31. est Dracontium siue Dracontea, uel Serpentaria

DRaganti. vide in uerbo Tragacantha.

DRupę oleæ, sunt illæ Oleæ, vel vulgi Oliuę, quę incipiunt nigrescere, teste Cæsalpino lib. 2. de plantis. cap. 35.

DRypis. ponitur planta Spinosa, quæ reperitur in *Abrutio* ab Aloysio Anguillara lib. de simplicibus parere 8 c. de Drypi. a Guillandino putatur esse Tragon Mattheoli, ut refert Lobellius lib. stirpium Aduersaria cap. de Trago. a quibusdam putatur esse Eryngium marinum, & an *Acanos* Plinij ex Lobellio lib. obseruationum cap. de Eryngio marino.

DVlcisida, vt nonulli legunt, eadem est ac Casta apud Theodorum Gazam, & vt notat Cæsalpinus lib. 15. de plantis cap. 36. est Pęonia vulgaris.

DVlcis Radix. vide in uerbo Scythica radix.

EBenus, siue Hebenum, siue Xyloaloes Officinarum ex Lobellio lib. Obseruationum cap. de Ebeno, vulgo Ebano dicitur, non autem intelligo Xyloaloes, hoc est lignum Agallochum siue lignum aloe, de quo vide in verbo *Agallocchum*.

EBur fossile Theophrasti, a Cæsalpino lib. 16. de plantis cap. 35. reducitur ad Corallium album Officinarum.

EChinopus Gesneri, vide in uerbo Rhutrum.

ELaterium, est succus Cucumeris Asinini, vt in verbo *Sicyos* Syluestris.

E Latine Dodonæi, vide in verbo Lappago.

E Lelisphacon, est species Saluiæ, & præcipue Saluia domestica, sic videtur concludere Cæsalpinus lib. 11 de plantis cap. 15

E Leoselinũ est idem, ac Paludapium quod vertit Theodorus Gaza, teste Cæsalpino lib. 7. de plantis cap. 39 & est Cresciene, siue Herba Cannella vulgariũ, ita dicta vt puto, quia cito crescat in aquis, & eius Caules, siue trunci sint concaui, & intus vacui, ut est Cannella vulgaris Aromatariorum, vel vt est Arundo parua, vulgo Cannella dicta.

E Liochryson idem est ac Aurelia, siue Aureus flos vulgo Tignamica, de qua uide in verbo Aurelia, quo loci æthymologiam Tignamicę intelligere poteris.

E Lium. est idem ac Lilium marinum Dioscoridis, quod a Cęsalpino lib. x. de plantis. cap. 23. putatur esse Narcissus marinus

E Lymon. vocari Panicum a Theophrasto asserit Cæsalpinus lib. 4. de plantis cap. 52.

E Llebotina, siue Elleborine, & Helleborines est eadem, ac Epipactis a Dioscoride descripta, ex Cæsalpino lib. 15 de plantis. cap. 30

E Lleborus Ferulaceus, ita a Matthia de Lobel, lib. stirpium Obseruatione cap. de Cõsiligine Matth: Theophrasto attributus est Consiligo Mattheoli, de qua vide in suo proprio loco.

Elleborus, est idem ac Veratrum. estq; planta notissima, si de elleboro nigro intelligamus.

E Ndiuia vulgaris, vide in uerbo Porcellia.

E Nsis radix. est eadem planta, ac Gladiolus Latinorum, siue Xiphion Græcorum, & Monacuccie a nonnulis Etruscis, maxime a Senensibus vocatur, quidam Pugionẽ vocant ex Cæsalpino lib. x. de plantis cap. 35. vide in uerbo Cypirus, & uerbo Gladiolus, & copiosius in uerbo Xiphion.

Enthu-

ENthusicum. inter olera reponitur a Theoph. lib. 7. di Historia plantarum, cap. 7. sed quodnam sit tale olus apud nos hodie, adhuc apud neminem inuenire potui.

EPatica, siue Fegatella vulgaris. vide in uerbo *Bryon marinũ.*

EPhemerum. a Cæsare Odono Bononiesi in suo libro vocato Sparsę Sentẽtię Theophrasti. reducitur ad *Aconitũ*, *Sed melius*

EPhemerum. videtur a Cæsalpino lib. x. de plantis cap. 19. putari quod sit ille solidus Bulbus, qui vulgo Hermodactylus appellatur a recentioribus Herbarijs.

Ephemerum non venenatum. vide inuerbo Lirium.

Epimelis. vide in uerbo *Arbutus*.

EPimenidium, ita legitur a Cæsalpino lib. x. de plantis cap. xi & est Bulbus, qui hodie in ter species Moly a Recentioribus reponitur.

EPimetrum. si est idem cum Epimetro Plinii, erit Epimedium ex Lobellio lib. stirpiũ Aauersaria Noua cap. de Epimedio.

EPipactis. eadem est, ac Elleborina siue Elleborine.

Equapium. ut uertit Theodorus Gaza, siue equinum Apium, est idem, ac Hipposelinon, siue olusatrum latinorũ. vulgo macerone dictum, forsan corrupto uocabulo a Macedonico Petroselino, quia eius loco aliquando acceptum est, sic refert Cæsalpinus lib 7. de Plantis cap. 43. vide in uerbo Hipposelinon.

Equestris Radix. Quænam sit non est facile asserere, cum Theophrastus lib. 9. de Hist. plant. cap. 13. dicat ipsã mederi posse vlceribus, sitim quoq; ex tinguere si in ore detineatur, ut etiam *Scithica*.

Equifoeniculum a Theodoro Gaza interprętatum, a Cæsalpino lib. 7 de plantis cap. 9. interpratatur, Hippomarathrum, quasi sit foeniculum foliis maioribus.

Equi-

Equinum *Apium*, vide Equapium.

Equisetum, siue Cauda equina. vide in uerbo Hippuris, vbi est obseruatio scitu digna, & Noua.

Erebinthon, est Cicer latinorum. vulgo *Ceci*. Cæsalpinus libro sexto de plantis. cap. 13.

Erestedanum, dubitatiue putatur a Matthia de Lobel, ac Petro Pena lib. stirpium *Aduersaria* Noua cap de Numulariа, esse Cē timorbia, siue Numularia. ita Ioannes Pona in descriptione Mōtis Baldi fol 142. vbi addit citando Cæsalpinum. ab ipso vocatam fuis se Borrissam, vt videre est lib. 6. de plantis cap 56. & est illa Lunariæ species tantopere laudata, & quæsita a Chimistis ad firmandum & congelandū Mercurium, hoc est *Argentum* viuum. estq; Hirudinaria & Serpentaria Auth. Hist. plantarum lib. 9. cap 44. Hirudinaria quia hæreat terrę suis Geniculatis radicibus sicut Hirudines cuti, Serpentaria vero quia Serpentes curent sua vulnera tali herba.

Ereuthedanum, Putatur esse Rubia Tinctorum, ab Authore Hist. plantarum lib. 9. cap: 44.

Erica. est Frutex notissimus Scoparia vocatus.

Eruanga a Theodoro Gaza interpretata, putatur a Cæsalpino lib. 8. de plantis cap. 41. esse Cuscuta vulgaris, quæ cum Lino conuoluta nascitur; vnde Aromatarii solent dicere. Cuscuta super Linum, epithymum super Thymum, de qua vide Copiosius in uerbo Cadytas.

Eruca. planta nota Italice Ruchetta vocata.

Eruilium ita Theodorus Gaza vertit. sed Cæsalpinus lib. 6. de plantis cap. 6. vertit ochros, siue ochrum, estq; Eruilium, quod vulgo Rubilium vocant, Piseolusq; Syluestris dici potest.

Eruum. quod vertit Theodorus Gaza, ab alijs Orobus dicitur & uulgo Mochi in Etruria vocatur. Cęsalpinus lib. 6. de plā-tis Cap. 8.

ERygeron Dioscoridis, vide in uerbo *Senecio*.

ERyngium: cum a Theophrasto lib. primo de Hist. plant. cap. 6. Solum dicatur ipsum foliis Aculeatis constare, ut *Acanum*, nos possumus dicere Theophrastum intelligere de Eringio montano, campestri, & marittimo, quę omnia copiose nascuntur apud nos, suntq; vulgaris notitiæ; solumq; adnotabo cum Cæsalpino lib. 13. de plantis cap 28 Eryngium montanum in admirabili monte della Vernia dicto uocari Spinā Sancti Francisci, & tanquam sacram ferri in Domos eorum qui ea loca visitant.

ERysimum, est idem ac Trionum a Theodoro Gaza inteprætatum, & a Cæsalpino lib. 4. de plantis cap. 26 reducitur dubitatiue ad Bliti speciem, & præcipue ad Blitum Tuberosū, quod nos hodie vocamus *Bietulone rosso con radice di Rapa*. efficit enim radicem rubicundam tuberosam ad instar rapi.

ESchinos idem. est ac Iuncus vulgaris. Eschinos aromaticos. vide Iuncus odoratus.

ESculus a Theodoro Gaza interprætatus. est uulgata arbor dicta Fargno ex *Aloysio Anguillara* parere quarto. cap. de *Arboribus* Glandiferis.

EVboicum. est castaneæ fructus crusta, siue spinoso Cortice obductus. Cæsalpinus lib. 2. de plantis cap. 4.

EVonymus. putatur a Trago esse idem, ac Carpinus eiusdem Theophrasti, & est arbor vocata Italice Fusano, siue Fusaggine, eandem quoq; opinionem habuit Cæsalp. lib. 3. de plāt. cap. 50.

FAba, Planta annua notissima, quæ est commestibilis, quæq; oritur in Siliquis vulgo Baccelli dictis.

FAba Ægyptia. est Colocassia, siue *Arum Ægyptium* Lobellij lib stirpium *Aduersaria* Noua cap. de Colocassia, & ante ipsum, vt puto, sic existimauit Cæsalpinus lib. 6. de plantis cap. 2.

FAba Græca, eadem est ac Diospyros, seu. Pseudolotus Mattheoli ex *Auth.* Hist. plant. lib 3. cap. 21. vt in uerbo *Diospyron*.

FAba inuersa, Faba Lupina. Vide i verbo Colycea, siue colytea

FAgus. Arbor. nota, Italice Faggio vocata, & à Cæsalpino lib. 2. de plant. cap. 3. putatur esse eadem ac Scissima Arbor Theoph

FArfara, siue Farfarella. vide in verbo Tiphium.

FAscolaria. Vide in verbo Colycea, siue Colytee.

FEbrifuga, est Centaurii, siue Centaurion micron Græcorum: hoc est Centaurium paruum Latinorum, & Biondella Italorũ. ex Lobellio lib. stirpium Aduersaria Noua cap de Centaurio Micro. Sed vide in verbo Centaurium.

FEbrifuga aliquorum, est etiam Trisago, siue Quercula. vt in verbo Trisago.

FEgatella vulgaris, siue Epatica. Vide in verbo Bryon marinum.

FEl Terræ, a me putatur esse idem, ac Centaurea parua, siue Febrifuga superius dicta, nam talis planta ita vocatur a Mesue in libro de simplicibus in quibus non est venenositas cap. 10. Inuenio autem Aloysium Anguillaram Parere 12. cap. de Centaurea minori, ante me talem opinionem habuisse. Notandum etiam quod ex eodem Mesue lib. de simplicibus in quibus est venenositas cap. 4. Fel Terræ est etiam illa planta quæ à Græcis dicitur Colocynthis, à Romanis Cucurbita syluestris, siue Cucurbita amara, vulgo Coloquintida.

FErula. Nota planta existit, & inter plantas vmbelliferas, siue fœniculaceas connumeratur, à qua oritur & destillat Sagapenum vulgo serapino dictum, est enim Lacbryma, quę destillat a tali ferula, vt testatur Dioscorides, lib. 3. cap. 75 & 79. & vt ego proprijs oculis vidi in viridario Pis. in æstate de mense Augusti

FEstucago. a Thodoro Gaza interpræetata. vide in uerbo Bromos.

FIcus. arbor notissima, quę fructus commestibiles producit, quæ

simpliciter intelligatur, alio nomine Sycem vocat Theophrastus, vt optime notat Cæsalpinus lib. 3. de plantis cap. 2.

Ficus Bifera Hoc est bis in Anno fructus producens

Ficus Cypria. a Cæsalpino lib 3. de plantis cap 2. dicitur oriri in Creta caudice magno Populo albę simili, folio vlmi, fructus similiter in caudice nascitur germinibus quibusdam adnexus sine folijs, quater fructificat, toties germinat, sed nullum producit ad maturitatem, nisi pomo inciso, emissoq; Lacte, dulcedo ficubus non absimilis, magnitudo autem pruni est.

Ficus Ægyptia, est Morus ægyptia eiusdē Theophrasti, siue Sycomorus ex Cæsalpino lib. 3. de plantis cap. 2. & Auth. Hist. plant. lib. 3. cap. 19. & Italice Sicomoro & Fico d' Egitto dicitur.

Ficus Indica, siue Tuneficifera Indorum, ab aliquibus recentioribus Herbariis putatur esse Opuntia Græcorū. Sic videtur asserere Auth. Hist. plant. lib. 18. cap. 34 Licet postea in eodem lib. sed in cap. 90. Auth. Hist. plant. sequendo Clusium Aliam Ficum Indicā diuersam ab opuntia descripserit, vt apud ipsum videri potest.

FIcus Laconica, Ficus Leucophalia ex eodē Theoph lib. 5. de Causis plant: cap. 1. Sunt Species Ficus quę præcoques gignunt, & plures alię, quę quam minimę.

Ficus Syluestris, est Caprificus, de qua supra dictum est in verbo Caprificus.

FIdicula ita legitur a Theodero Gaza, & a Cæsare Odono Bononiensi, sed forsan melius.

FIlicula, quę alio nomine Polypodium vocatur, seu Herba Radioli ab Apuleio, vt testatur Lobellius lib. stirpium Aduersaria Noua cap. de Polypodio; sic ante Lobellium censuit Cæsalpinus lib. 16. de plantis cap. 6.

FIlicula a Theodoro Gaza ita interpratata. ex Cæsalpino lib. 16 de Plantis cap x1. est Trichomanes, siuę polytricum vulgo vocatum, quia Trichas siue plures Trichas efficiat, hoc est conferat ad Trichas Capillorū pulchras in mulieribus efficiendas, quas hodie corrupto vocabulo Gręco a trichis, Tresine dicunt,

FIlix tam Mascula, quam fœmina, plantæ notissimæ sunt. de quibus vide in verbo Pteris, siue Ptheris, & Telipheris

Fior

Fior d'Arancio. vide in verbo Caltha.

Floralisus vulgaris. vide in verbo Struthium.
Fior Rancio, vide in verbo Caltha.
Fior velluto, siue Fior Belloso. vide in verbo Flammę flos.

FIstularia Canna, eadem est ac Arundo, quę est vacua ad instar Fistulæ quę resonat, hoc autem dixi, ne Iuniores intelligerent fistulam morbosam, quæ semper pus. siue saniem effundit, estq; fere incurabilis.

FLamma Iouis. ex Cęsalpino lib. 9. de plantis cap. 40. est Iacea vulgaris Suocera, e Nuora dicta, vt in verbo Phlox

Flammæ flos. Nisi ego fallor; est ille qui vulgo Fior Velluto, siue Fior Belloso vocatur, nam quis alius flos nobis perbelle demōstrat Flammam & Flammæ florem, quam iste qui alio nomine Amarantus dicitur; dicebat enim Theophrastus, lib. 6. de Hist. plat. cap. 6. Flammę flos vsui est, & sine odore, quę omnes notę in tali Flore reperiuntur.

Notandū etiā est hodie per Amaranthum nos non solum intelligere Florem vellutum vulgarem supra dictum, sed etiam illam aliam speciem quæ a Latinis recentioribus Amaranthus tricolor vocatur quia colorē uiridem. Luteum, & Rubicundum proferat & vulgo Fior di Gelosia dicitur, quia sit flos qui a mulieribus decoris & venustatis gratia ponatur supra Fęnestras illas, quæ Gelosię vocantur. Præterea sciendum est etiam per Amaranthum nos intelligere illam aliam plantam quę Disciplina vulgaris uocatur, & rectius a latinis uocatur Amaranthus maior floribus Panniculosis spicatis purpureis ex Lobellio cap. de Amarantho.

FLammula alba, siue vulgaris. vide in verbo Athragena

FLos Constatinopolitanus, creticus & Hierosolomitanus. vide in verbo Lanaria.

FLuida, uel Fluidarum Species duę propununtur esse a Cæsalpino lib. 2 de plantis cap. 41. & 42. nempe fœminea, quę fructicat, estq; Rhus, siue Rhoos Græcorum, & præcipue Dioscoridis lib. 1. cap 124. siue Sumach Arabum, & Recentiorum. & Mascula quæ Sterilis ex stit, & Lantana vulgaris dicitur. siue Viburno.

FOeminifica Herba. vide Phyllum.

FOeniculum. tanquam notissimum a nobis in obseruatũ relinquitur, est enim Vulgarium *Finocchio*, cuius aqua destillata ad claritatem visus Oculorum facit, & a Serpentibus id experientia docti sumus, quando enim ob senectutem amplius non vident, ad fœniculum accedunt, ibiq; *Spolia* derelinquunt, vt in mótibus Pisanis sæpe visum & obseruatum fuit.

Fœniculum Porcinum Recentiorum. Vide in verbo Peucedanum

FOenum grecum. Licet Planta virens ipsius a nobis non habeatur, tamen eius semen frequẽtissimum est apud nostros Aromatarios, vulgoq; vocatur Fien greco.

FRagaria vulgaris. vide in uerbo Chamæbatos. & ortũ habet a verbo Frago, quod odorem reddo, significat. ex Auth. Hist. plát. lib. 5 cap. 27.

FRangula Latinorum. vide in uerbo Colycea, siue Colytea.

FRatini. vide in uerbo Nastutiũ, & sunt Flores Nasturtij Indici.

FRaus herba; quę a Cæsalpino lib. 13 de plantis cap. 2. dicitur Græce *Apate*, erit Cicorium Romanum, quod hodie temporibus nostris uocatur Radichio Romano, Solum enim talis planta germinat ineunte æstate, non post virgilias vt dicit Theoph. lib. 7. de Hist. plant. cap. XI.

FRaxinus, siue Bumelæa est *Fraxinus* campestris, a qua destillat Mãna Solutiua vẽtris ĩ Calabria, vt diximus in verbo Bumelia.

FRaxinus uero montana, est illa Arbor, siue Frutex, qui Orno, siue Orniello vocatur

FRemij genus est illa planta, quæ Limonium vocatur, ut patet ex Theoph. lib. 6. de Hist. plant. cap. vlt. & Cæsalpinus videtur lib. 14. de plantis cap 9. reducere ipsum.

FRemium, quod vertit Theodorus Gaza ad Anemone, de quo nihil dicam, cum sint eius variæ plantę, ac differentię omnibus

noręne dicã notissimæ, sponteq; nascunturin mõtibus Diui Iuliani & supra Moenia Pisana circumuicina Monasterio Reuerẽdarũ Monilium S. Dominici.

FRondiflora, est Bellis cœrulea, siue Globularia Monspelliensiũ, & Bottonaria Italorum, ex Lobellio lib. stirpium Aduersaria Noua cap. de Bellide Cœrulea.

FRumentago. & triticum videntur esse idem, ex Theoph lib. 8. de Hist. plant.cap. xi.

FRumentum. idem ac Triticum, seu Grano vulgi

FVngus. Vnus cognitus videtur a Theoph. nisi dicamus illos Fũgos qui iuxta mare rubrum erumpunt, quiq; sole tacti in lapidẽ commutantur, esse aliam speciem Fungi a Theoph. descriptam, nos autem hodie habemus fere infinitas species, de quibus satis luculenter agit *Cæsalpinus* lib. 16. de plantis a cap. 37. vsq; ad cap. 54.

FVsus *Agrestis*. ita inteprætatur a Theodoro Gaza, & est idem ac Atractylis, sic notat Cæsalpinus lib. 12. de plantis cap. x. dicitur autem *Atractylis*, quia debeat reddere succum sanguineum, vnde iure optimo idem Cæsalpinus lib. 13 cap. 44 dicit veram *Atractylẽ* esse illam plantam, quæ vulgo Carthamum *Syluestre* vocatur, cuius capitula horrida paruis foliis pungentibus circundata, si auferantur dum tenella sunt, lineam sanguineam ducunt super cutem, si fricentur, vnde Phon*os* hoc est cruor a quibusdã vocata fuit, flores fert luteos. *S*ed aduertendũ est ex Cæsalpino sequenti cap. 45. libri. 13. quod. flos *Atractylis* est clausus adifferentiam floris lutei patuli, siue aperti, & in ãbitu foliati, vt facit *Aster* Atticus, qui reperitur in *Acarna*, siue Acorna, quæ oritur in collibus asperis, & campestribus, in totum minor Atractyli, caulibus rubentibus, Læuibus, capitulis in vmbella simili modo Spinosis.

G*Albanum*. Vide in verbo Chalbanum

G*albigia Aretinorum*, vide in uerbo Siligõ, & est Frumentũ candidissimum

Galli-

GAllica est Acer, de qua in verbo Acer.

GAllica, etiam Mespili genus est vide infra ĩ verbo Mespilus. & apud Theophrastum lib. 3. de Hist. plant. cap 12.

GAryophyllus Syluestris, est idem ac Dios Anthos. ut in uerbo Iouis Flos.

GEminalis ita interpraetata a Theodoro Gaza, est idem ac Horminum Satiuum. ex Caesalpino lib x1. de plantis cap. 29.

GEmmini, sunt Flores Nasturtij Indici, ut copiose in verbo Nasturtium.

GEnista, vide in verbo Linogenista.

GEthyi, siue Gethyum est idem, ac Ampeloprasum, siue Porrũ Sponte prouueniens, vt dicit Caesalpinus lib. x de plãt cap 13.

GInestrella, vide in uerbo Linogenista.

GIth; est Pseudo Melanthium, Seu Nigella falsa, & vulgo Gittone vocatur.

GIuggiolena, vide in uerbo Sesamum.

GLadiolus. ita a Thedoro Gaza interpraetatus, est idẽ ac Cypirus, vt legit & vertit Caesalpinus lib. 4 de plantis cap. 61. & est illa planta quae vulgo Monacuccie vocatur a Senensibus. de quo Gladiolo vide in uerbo Cypirus, in uerbo Ensis Radix, & copiosius in verbo Xiphion.

GLans. cum a Theoph. lib. 4. de Hist. plant. cap, 2. inter vnguentaria cõnumeretur, sitq; boni odoris, iure merito Caesalpinus lib. 2. de plantis cap 45. reducit ad Ben; siue Behen uulgarium, estq; Nucleus Triangularis Auellanae, aut Pistaceę similis, medullã candidam, & plenam continẽs, oleosam, cortice crustoso, aut nigricante, qui in alio externo ac deciduo reconditur.

Glob-

GLobularia monſpellienſium. vide in uerbo Frondiflora.

GLycyriza . vide in uerbo Scythica Radix.

GOngrus Arborum, eſt illa pars quę in Arboribus Nodus vocatus, teſte eodem Theoph. lib. 1. de Hiſt. plant. cap. 13.

GRamen. Planta notiſſima eſt, cuius omnes ſpecies, quę deſcribuntur a Recẽtioribus Herbarijs, & præcipue a Lobellio in lib ſtirpium Aduerſaria Noua , & in lib. Obſeruationum, nec non ab Authore Hist. plant. ſi recenſere vellem, nec annus mihi ſufficeret.

GRana paradiſi. vide in verbo Cardamomum.

GRanata . sũt mala Punica, quę vulgo melingrani ſeu melagrane vocantur.

GRanum Cnidium. est semen Tricoccum tam Chamælex, quã Thymælæę, ſiue Mezereon Arabum.

GVaiacã siue Guaiacũ, idest Lignũ sãctũ, nõ est deſcriptũ a Theoph. nec a Dioſc. nec ab alijs antiquis Sed eſt vox Indica quæ ſignificat Templũ ſiue Rẽ Sactã, vnde Lignũ Guaicũ ſiue Guaiacã hoc eſt Lignũ S. ſiue Benedictũ, & ab Amato Luſitano lib. primo ſupra Dioſcoridẽ enarratione 119 vocatur etiam Morbi Gallici Lignum, quia habeat uim curandi luem Veneream Gallicam, & ipſe Amatus Luſitanus existimauit tale lignum sanctum reduci poſſe ad Ebenum, vel saltem ad ſecundam speciem ebeni a Dioſc. deſcriptam, vel ad Carum Arabum & præcipue Auicennę lib. 2. Trat. 2. capit. 137. Alij putarunt eſſe Buxum vt teſtatur Niccolaus Monardes lib. de Simplicibus ex Occidentali India delatis cap. de Guayacan. Sed Aduerte quod Lignum Palum, vel palum sanctum, est ex opinione aliquorum recentiorum inter ſpecies Ligni sancti connumerandum vt præter alios nos docet Cæſalpinus lib. 3. de plant. cap. 22.

GVmmi est Lachryma, ſiue liquor, & ſuccus ſponte exiens ab Arboribus, Fruticibus, ſubfruticibus, plantis & fructibus .

HAlimus . vide in verbo Auro.

Haſtu

HAstula Regia, est eadem, ac Asphodelos Græcorum, siue Asphodelus Latinorum, & Albucus siue Albucum Theoph. ex Cæsalpino lib. x. cap. 26. & Auth. Hist. plant. lib. 15. cap. 21.

HEbenum. vide in uerbo Ebenus, nam sunt vnum & idem.

Hedera. in verbo Cissos de ipsa dictum est.

HEdera Cilicia. ita interpretata a Theodoro Gaza. est Smilax aspera, uulgo Hedera Spinosa dicta, vt notat Cæsalpinus lib. 5. de plant. cap. 12. & hanc (vt intelligere potui ab Aromatariis pisanis Fide dignis) Excellentiss. Baldellus Baldellius Simplicista vnus ex Antecessoribus meis, natione Cortonensis, qui per vigintiquatuor annos Lecturã Simplicium continuo Pisis exercitauit, uocabat iure optimo Salsamparillam Italicam, quia in figura, temperamento, & viribus esset eadem cum Salsaparilla vera, qua hodie nos Medici vtimur ad curandum non solum morbum siue Luem venereã, sed etiã omnes morbos frigidos catharros uulgo vocatos, & ut verum fatear nihil dubitarẽ in accipiendo talem nostram smilacẽ asperam loco verę Salsaparillæ, sed bene ut mea fert opinio, talẽ siue hanc diligentiam adhiberem in eius electione vel substitutione, ut acciperent Aromatarii non caulẽ uel folia similacis dictę, sed radices crassiusculas eius loco mõtano præcipue nascentes, ut supra montem Diui Iuliani supra Balnea Pisana positum, videri potest, prætere a iuberẽ ut colligerentur de mense Iulii, uel Augusti, & ad summum Septembris, nam ut obseruare potui de mẽse Nouembris vel Decembris florere incipit, ac fructus paruulos rubicundos, rotundosq; producit. cur vocetur Zarzaparilla vide in uerbo Zarzaparilla

HEdera Rigens. est eadem ac Aquifolium, ut in uerbo Acarnica Rigua.

Hedera Spinosa. vide supra in verbo Hedera Cilicia.

HElenium. non est illud vulgatum recentiorum, hoc est Inula campana siue Inula uulgaris, quia inter plantas odoratas a Theophrasto connumeratur in lib. 6. de Hist. plant. cap. 6. quinimo totum odoratum Describitur, sed est marum apud Lobelliũ lib stirpium Aduersaria Noua cap de maro. & pro iunioribus dico cũ Cæsalpino lib. xi. dę plant. cap. 57. & cũ Authore Hist. plant. lib. 8. cap. 4. tale Marum esse maioranã vulgarẽ, unde facile est a maro

maio

Maioranā ortum duxisse, Pisis autem Persam Gentilem vocatam ad differentiā illius Persæ, quę Amaracus seu Sampsucus vocatur.

HElica. ab Aloysio Anguillara Parere. 3. cap. de Salice. tribuitur Theoph. & dicitur esse illa species Salicis, quæ Vitice a Bononiensibus vocatur, nos autem vulgo Vetricem uocamus.

HEliotropium maius. vide in uerbo. Solaris herba.

HElleborina, siue Helleborines est eadem ac Elleborina, siue Elleborine. & Epipactis Dioscoridis.

HElleborus. vide in uerbo Elleborus

HEmeris. vide in uerbo Placida Quernus.

HEmionium, siue Hemionitis. ex Cæsalpino lib. 16. de plantis cap. 8. est eadem ac Mula a Theodoro Gaza interpretata, de qua in uerbo Mula satis dictum est, ni fallor

HEmodorum. describitur a Theoph. lib. 8. de Hist. plant. cap. 8. sed quidnam sit adhuc ignoramus.

HEpatica, eadem est, ac Lichen, siue Pegatella vulgaris, ut dictum est in uerbo, Bryon Marinum.

HErba Cannella, siue Crescione, vide in uerbo Eleoselinum.
Herba Doria. vide in uerbo Panax chironium.

Herba Lanaria a Theodoro Gaza interpretata, a Cęsalpino lib 13 de plantis cap 52. vertitur Struthiū, de quo videas in uerbo Struthiū

Herba Lucciola Licet a Theoph. non proponatur, tamen quia est herba hodie a multis decantata, dicimus esse ophioglossum, hoc est Linguam Serpentis ut in verbo ophioglossum diximus, & est uera herba Lucciola apud Herbarios, nam herba lucciola vulgarium muliercularū, & Idiotarū est Graminis species foliis, caulibusue quadratis cōstās; quæ & ipsa. ualet ad vulnera cōsolidanda, sicut herba Lucciola uera, quæ in pratis solum reperitur a Mense Maii vsque ad medium, vel ad summum ad totū mensem Iulii; sed aduerte quod oritur copiosa in pratis montanis, & præcipue in illis existentibus prope

Ecclesiam, siue Heremitorium Montis vocati de Lupo cauo supra Arcem Ripæ Fractę Pisanam, vulgo Libbra Facta corrupto vocabulo dictam vbi manent Reuerendi Fratres Eremitani Diui Augustini; quo loci vulgatissimum est apud omnes Diuum Augustinum composuisse Librum vocatum de Ciuitate Dei. Fit ex ea oleũ vt sępe sæpius expertus sũ, quod termino Vigintiquatuor horarũ, si non sanat vulnera simplicia recentia, saltem ipsorum dolores aufert, ac triduo vel quatriduo illa sanat.

HErba Radioli. vide in verbo Filicula.

HErba Sacra, siue Herba sancta. Vide in verbo Tornabona.

HErba Sancta Maria. vide in verbo Costus.

HErba Stella. Vide in verbo Silago.

HErba venerea. à Theodoro Gaza interpretata est eadem, ac Acorus apud Theophrastum. ex Aloysio Anguillara Libro vocato de simplicibus parere XI cap. de Acoro Theophrasti. de qua vide in verbo. Acorus.

HErmodactylus. vide in verbo Ephemerum.

HErculana, cum ex Theophrasto lib. 9. de Hist. plant. cap. 15. spinæ genus sit & ad Medicamenta vtilis. inobseruata a nobis relinquitur.

HErculea. erit Panax Heracleum, siue Herculea, vel Heraclea fronde smyrnii, vel Imperatorię, siue Spondylium alterum Dodonæi ex Lobellio lib. stirpium Aduersaria Noua cap de Panace Heracleo.

HEsperis. putatur esse Lychnis syluestris Rubello florea Lobellio lib. stirpium Aduersaria Noua cap de Lychnide syluestri. At a Cæsalpino lib. 8. de plantis cap. 81. existimatur esse viola alba syluestris, eiusq; illas species quæ noctu magis redolent, quam interdiu.

HIbiſcum. vide in verbo Malua ſylueſtris.

HIeracium Mattheoli. vide in verbo Picris.

HIppoſelinon. eſt idem ac Equapium, quod vertit Theodorus Gaza, vt aſſerit Cæſalpinus lib. 7 de plantis cap. 43. & eſt Oluſatrum Latinorum, ſiue Macerone vulgarium, ſic putauit Aloyſius Anguillara parere 7 cap. de Apio. Sed de ipſo videas in verbo, Equapium.

HIppuris Licet à Theophraſto non proponatur, tamen quia hodie eſt planta notiſſima de ipſa aliqua dicam, eſt enim idem ac Equiſetum Latinorum, vulgo Coda di Cauallo, & à Ruſticis nonnullis extra Piſas Cucitoli dicitur, habet enim tota planta ſimilitudinem cum Cauda equi, & ſi conſideremus ſeorſum folia ipſius, videntur habere ſimilitudinem cum Acubus, Acus autem ſunt in vſu ad ſuendum, vnde Cucituli, da cucire. Sed obſeruatione dignum eſt tale nomen vulgatum Cucitoli eſſe vocem æquiuocam apud Ruſticos Campeſtres, & Montanos, nam vt dixi apud Campeſtres Cucituli ſunt Coda di Cauallo, ſiue equiſetum, at apud Montanos vero Cucitoli intelliguntur folia Arida, ſiue ſicca, nec non etiam virentia ipſius Pini, quæ colliguntur ad ignem efficiendum, & Furnum calefaciendum. Præcipue in valle Calcenſi, Monte Magnenſi, Butenſi, & vici Piſani.

HIrci Barbula, eſt eadem, ac Tragopogon Græcorum, vulgo Saſſefrica. Ex Cæſalpino lib. 13 de plantis cap 23.

HIrci ſpina, itá a Theodoro Gaza interprætata a Cæſalpino lib 8 de plantis cap. 7. Tragacantha interprætatur, & eſt illa planta, a qua oritur, & deſtillat Tragacantha Lachryma, ſiue Gummi, quod hodie vocatur Draganti.

HIrudinaria. eſt Numularia vt in verbo Ereſtedanum dictum eſt.

HIrundinaria, eſt vox æquiuoca ad plures plantas, nam Chelidonium maius eſt ex opinione Recentiorum referente Cæſalpino lib. 6. de plantis cap. 73. Lobellius putauit eſſe Aſclhepias, ſiue Vince Toxicum, vt dicit lib. ſtirpium Aduerſaria Noua cap. de

Asclepia. quem sequutus fuit *Auth.* Hist. Plant. lib x cap. 27.

HOloschęnos, est iunci species Tertia à Theophrasto descripta, ex Cęsalpino lib. 4. de plantis cap. 60.

HOrdeum, quod describitur a Theophrasto, est nostrum Hordeum vocatum Orzo mondo, hoc est sine Cortice, siue semine Nudo, vt vtar ijsdem verbis Theophrasti ex Cæsalpino lib. 4. de plantis. cap. 46.

HOrminum satiuum. Vide in verbo Geminalis. dicitur autem Horminum a Potu Orman, hoc est impetu agi, & cieri in venerem ex Auth. Hist. plant. lib. 8. cap. 40.

HVmirubus. est idem ac Chamæbatos. & est ex Cęsalpino lib. 14. de plantis cap. 18. *Fragaria vulgaris*, quę fructus vulgo Fraule dictos profert.

HYacinthus. tanquam notus non obseruatur, in Viridario autem Pisano Multæ sunt illius species omnibus notissimæ & in colore & in odore inter se distantes.

HYacinthus Poeticus. Vide in verbo Sisyrinchium.

HYbiscum. est Althæa, siue maluauiscus, & vulgo Piss il Baiucolo dicitur. Vide in verbo Malua syluestris.

HYdnon. a Cęsalpino lib 16. de plantis cap. 38. putatur esse Tuber, vulgo Tartufo dictum, quod oritur in montibus Nursinis, vulgo di Norcia dictis.

HYdropiper, idem est ac Cratæum Theoph. ex Cæsalpino lib. 4. de plantis cap. 35.

HYoscyamus *Peruuianus*. Vide in verbo Tornabona.

HYphear. Vide *Abunde* in verbo Viscum. vbi ex Theophrasto lib. 2. de causis plant. cap. 23. concludimus Hyphear esse Viscum in Abiete & *Pino* Nascens, sic & Stelis.

HYpochœris. est eadem, ac Porcellia, ita interpræta a Theodoro Gaza, & est Endiuia vulgaris ex Cęsalpino lib. 13. de plantis cap. 2. vt in verbo Porcellia dictum est.

HYppoglossum. vide infra in verbo Laurus Alexandrina.

HYppomarathrum. a Cæsalpino lib. 7. de Plantis cap. 9. idem interpræatur, ac Equifœniculum a Theodoro Gaza, quasi sit Fœniculum foliis maioribus.

IAcea Recentiorum. Vide in verbo Phloginon, siue Phlox.

IAsione flos. est Campanula Persici folia nostras, siue Phyteuma Mattheoli ex Lobellio lib. stirpium Aduersaria noua cap. de Campanula Persici folia ex Cęsalpino vero lib. 9. de plantis cap. 28 est Aquilegia, siue Aquilina vulgaris, eandem quoq; opinionem confirmat idem Cęsalpinus lib. 15. de plantis cap. 38 & postea sectata fuit ab Ingeniosissimo Fabio Columna libro suo de plantarum aliquot Historia cap. 1.

ICma. cum solum dicatur a Theoph. lib. 4 de Hist. plant. cap. 11. quod in Lacu Orchomenio nascatur, & nil aliud, quid sit adhuc ignoramus.

IDæa Pinus. est illa quæ Picem producit ex Theophrasto lib. 9. de Hist. plant. cap 21.

Ilatrum vulgare Vide in uerbo Phylica.

ILetro lucensium. Vide in uerbo Celastrus.

ILex est Arbor, quæ Italice, Leccio, uocatur.

IMperatoria. Vide in uerbo Laserpitium, & copiosius in uerbo Ligusticum.

INcensaria uulgaris Cęsalpini. Vide in uerbo, Libanotis sterilis.

INdus Herba, si est eadem, ac

Indum

INdum Dioſcoridis, erit Panicum Cœruleum Indicum Lobellij libro ſtirpium Aduerſaria Noua cap. de Panico Cœruleo.

INguinalis Herba ſeu Inguinaria, eſt Aſter Atticos, ſiue Bubonion Grçcorum, & Aſter Atticus, ſiue Inguinalis, Inguinaria Latinorum, & talia nomina ſortitur, quia flos talis Plantæ habeat ſimilitudinem cum Aſtere, hoc eſt ſtella, & tota planta conferat ad Inguines ſiue Bubones curandos, hoc eſt vulgares Tumores Tinconi dictos, vnde Bubonaria a recentioribus herbariis etiam vocatur.

INtubus. Si eſt ſatiuus. eſt endiuia Latinorum, ſiue Scariola officinarum.

ION, eſt viola nigra, ſiue Purpurea, & vulgo Mammola dicta. & Ion vocatur, vel vt refert Hermolaus quia Nymphæ quædam Joniæ talem florem Ioui primum muneri dederint. uel quia cum Io Puellam adamatam Iuppiter in vaccam conuertiſſet vt fabulantur Poetæ terra florem violę pabulo eius produxerit. qui propter ipſam factus, ab ipſa nomen accepit, Atq; Inde etiam Latinis viola, quaſi vitula extrita littera T dici putatur referente Remberto Dodonæo libro de Hiſtoria Florum & Coronariarum Herbarum cap. 1.

Seruius violam Latinis etiam vaccinium eadem occaſione dici refert, locum enarrans Virgilij in Bucolicis. Alba Liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur. Virgilius tamen ecloga. 10. Vaccinium á Viola differre oſtendit, dum dicit, & Nigræ violæ ſunt, & Vaccinia nigra.

IOuis Flamma. Male à Theodoro Gazza interprętata vt notat Cęſalpinus lib. 2. de plantis cap. vltimo. eſt Lotus Arbor, quam in Etruria Bagattum vocant: & præcipue eius fructus, cum ſint Baccæ ceraſo ſimiles minores, & rotundiores, cum potius Dioſpyron eſſet legendum vt in verbo Dioſpyron dictum eſt, & aduerte quod differt a Flamma Iouis. vt ſuo loco videre eſt.

IOuis Flos eſt Lychnis Coronaria, ſeu Latinorum Cœleſtis Roſula, ex Lobellio libro ſtirpium Aduerſaria Noua cap. de Lychnide. At ex Cęſalpino lib. ſexto de plantis cap. 45. eſt ſylueſtris Garyophyllus in incultis oriens, qui alio nomine, ſed Græco Dios Anthos

thos

thos vocatur. Nos hodie vocamus ipſum Fior Garofano ſaluatico. Multi ex Authore Hiſt. plant. lib. 7 cap. 14. putarunt eſſe Aquilegiam plenis & multiplis floribus.

IOuis Triticum. vide in verbo Dioſpyron.

IPhii Flos, ſiue Iphyon eſt Aſphodelus Luteus minor, ex Lobellio lib. ſtirpium Aduerſaria Noua cap. de Asphodelo Luteo minori, ſic exiſtimauit Aloyſius Anguillara Parere 12. cap. de Iphio Theophraſti. At vero Auth. Hiſt. plant lib. 7. cap 7.

IPhyum ex opinione aliorum reducit ad Garyophyllos noſtrates vulgo Fior Garofani dictos.

IPnum. cum oriatur ex Theoph. lib. 4. de Hiſt. plant, cap. XI. in Lacu Orchomenio ſicut Icma intactum relinquitur.

IRis. eſt vox æquiuoca ad plures plantas hodie apud Floriferos Herbarios. quæ omnes reducuntur ad illam vulgatam dictam Giglio Paonazzo, & a Florentinis Ghaggiolo, ſiue giaggiolo.

IRis improbata. a Cæſalpino lib. 10. de plantis cap. 39. putatur eſſe Acorus vulgaris in Paluſtribus naſcens floribus Luteis cóſtãs

ISchæmon vulgare. vide in verbo Canaria.

ISirinchium. facile eſt idem cum Siſyrinchio recentiorum, nam a Theoph. lib. 1. de Hiſt. plant. cap. 16. inter Bulbos connumeratur, imo totum bulboſum dicitur, de quo vide in verbo Siſyrinchium.

IVncus. tanquam vulgatiſſimus a nobis inobſeruatus relinquitur, ſolum enim hoc dicere mihi placuit a Græcis dici eſchinos & a Latinis Iuncus a Iungendo, quia ad inſtar funis deſeruiat, vt aſſerit Author Hiſt. plant lib. 9. cap. 1.

IVncus odoratus, ex Authore Hiſt. plant. lib. 18. cap. 124. eſt idem ac Eſchinos, ſiue Schinos Aromaticos Græcorum Iuncus rotundus Cornelii Celſi, & Squinanthum officinarum, & vulgarium

rium squinanti. sic ante Authorem Hist. plantarum scripsit Cæsalpinus lib. 4. de plantis cap. 69.

IVniperus. est Arbor nota. Ginepro Italice vocata, sed ex opinione Cæsalpini lib. 3. de plantis cap. 57. videtur esse Sabina vulgaris, quinimo pro certo postea asserit in cap. 58. sequenti, vbi Cedrum Theophrasti reducit ad Iuniperum nostram vulgo Ginepro dictam, & Sabinam vulgatam reducit ad Iuniperum Theophrasti.

IXia. est chamæleon albus, ex Cæsalpino lib. 13. de plantis cap. 34. & 38. & est Carlina vulgo dicta.

IXine. ita interpretatur Cæsalpinus lib. 13. de plantis cap. 34. & est idem ac Carduus Pinea a Theodoro Gaza interpretata, & est inter genera satiui Cardui, de quo in verbo Carduus dictum est.

KEiri. Vide in verbo Viola alba.

LAbrum veneris. Vide in verbo Spina Dispas. vbi secretum aperuimus.

LAcara. Quid sit non possumus elicere ex verbis Theophrasti quia solum dicit lib. 3 de Hist. plant. cap. 4 quod in plano descendit, & auctu facillima est.

LAcca Lachryma, eadem est ac Gomma Lacca, vt in verbo Camcamum.

LAc Diuæ Mariæ, siue Carduus Lacteus. Vide in verbo Acanus.

LActariarum plura genera describuntur a Theophrasto, quæ vt optime notat Cęsalpinus lib. 9 de plantis cap 4 & 5. sunt illa genera Tithymalorum, quæ apud Herbarios Circumferuntur, omnia enim Lac proferunt, vnde soleo dicere Tithymalum esse vocem SemiGræcam, & SemiLatinam, nam Tithyos Græcorum, est Mammilla Latinorum, in qua continetur Lac, quasi sit Lac Malum.

LActuca. si est Domestica, vtiq; vulgatissima existit, si autē est Lactuca syluestris, est eadem ac Thrydacine, de qua videas in

verbo

verbo Thry'acine.

LAmbrusca ni fallor est illa Vitis sylueſtris quæ vuam commeſtibilem profert, colligiturq; locis ſylueſtribus in æſtate ad vinum vulgo Piccante dictum, quod maxime delectat & vocantur Abruſchi. non autem eſt illa Vitis ſylueſtris quæ ſolanum lignoſum à recentioribus vocatur ſiue Tamarro, de quo vide in verbo Vitis ſylueſtris.

LAnaria. videtur eſſe eadem ac Struthium Theophraſti ex Cæſalpino lib. 13. de plantis cap. 52. Licet idem Cæſalpinus in ſequenti cap. 53. dixerit Herbam Lanariam eſſe illam plantam, quæ Cerretta ſeu Serretta ab infectoribus Lanarum appellatur, quæ arida hodie reperitur apud noſtros Tinctores Author vero Hiſt. plant. lib. 7. cap 13. ex opinione aliquorum putat Lanariam eſſe illam plātam quæ alio nomine Flos Conſtantinopolitanus, ſiue Hieroſolomitanus, vel creticus vocatur & hodie Oculus Chriſti a recentioribus Herbariis appellatur forſan ob ſuam pulchritudinem, & vulgo a nonnullis Croce di Caualieri quia quo ad colorem & figuram habeat ſimilitudinem cum Perilluſtrium Equitum D Stephani Cruce, ſi intelligamus florem Conſtantinopolitanum flore rubro, at ſi intelligamus florem Conſtantinopolitanum flore albo, hodie eſt flos elegans & pulcherrimus, habetq; ſimilitudinem cum Cruce Alba quam gerunt Perilluſtres Equites Fratres Hyeroſolimitani vulgo Caualieri di Malta dicti, & in ſequenti cap. xv. eiuſdem libri ſeptimi idem Author Hiſt. plant. Lanariam Gazæ vocat Saponariam, & Tandem idem Author Hiſt, plant. lib. xi. cap, 42. aſſerit a nonnullis Lanariam vocari illam plantam quæ à Latinis Verbaſcum, ab officinis Thapſus Barbatus, ab Apuleio Lycnitis & Pycnitis, a nonnullis Candela Regis, Candelaria, Candelabrum Regis & Lanaria, vulgo Taſſo Barbaſſo.

LAntana vulgaris. Vide in verbo Fluidarum ſpecies, & in verbo Spiræa,

LApathum. hoc eſt Rumex, vulgo Rombice, ſeu Romice

LAppa. eſt Perſonata, ſiue Bardana Latinorum, ſiue Arction Græcorum, & vulgo Cappellacci Piſis vocatur, quia Pueri in

ęstate utantur eius foliis loco Pilei. Cęsalpinus lib. 8. de plantis cap. 9. asserit Lappam a Theodoro Gaza interprętatam esse Apparinem, siue Asprellam vulgarem, quam nos dicimus Speronellam ob similitudinem foliorum quæ ordine rotundo & Lac niato procedũt, sicut sunt Calcaria, quæ nos hodie speroni vocamus, vocatur etiã talis Aparine pulcherrimo nomine Græco, nempe Philantropos hoc est Amor hominis, quia sua asperitate adhæreat vestibus hominum, quasi nolit ob amorem eos derelinquere, dicitur & Omphalocarpos a Diosc: lib. 3 cap. 88. quia referat similitudinem vmbellici eius semen Concauum. á Latinis vocatur Aparine, Aspergula, Asperula, quia asperitate sua attingentium vestimentis hæreat, Ab Alpinis siue ab Alpium habitatoribus Presuola nuncupatur quia Pastores ipsa vtantur ad apprehendendos pilos in Lacte contentos colli vice. Amatus Lusitanus lib 3. supra Dioscoridem enarratione 102. scribit à Latinis vocari Rubeam syluestrem, quia in figura foliorum & forma præseferat Rubiam vulgarem Tinctorum, quæ Robbia dicitur.

LAppago. si est eadem cum Lappagine, siue Asperugine Plinii lib. 26. cap. 10 ex Anguillara Parere Duodecimo supra simplicia cap de appagine est Morsus Gallinæ folio Hederulæ, siue Chamædryoides repens, vel Alsine Media Fucchi, Elatine Dodonæi. & ex Dodoneæo est Aparine, siue Asperula Latinorum, vel Speronella Italorum, vel Hetruscorum Presuola, siue Philantropos Gręcorum; vt diximus supra in verbo Lappa. At Cæsalpinus lib. 8. cap. x. videtur concludere quod Lappago sit eadem ac Apparine Læuis hoc est mollis, siue vestibus non adhærens.

LArix. Arbor nota, vulgo Larice dicta, a qua oritur, & destillat Terebinthina vulgaris Aromatariorum vocata Trementina Venetiana. Vera autem Terebinthina quę destillat a vera arbore Terebinthi, est illa quæ vocatur Terebinto di Cipri, quæ est in vsu pro medicamento sumpto in bolo ad quantitatem ad summum duarum drac marum, ad abstergendos lapides siue Arenulas, nec non etiam catharrum contentum in renibus, & vessica; valet etiam ad dolores Arthriticos, & præcipue podagricos auferendos. At Terebintina Venetiana dicta, valet ad vulnera sananda, ad Digestiuum & Mundificatiuum pro vulneribus efficiendum, vt optime omnes chirurgi sciunt. & vtuntur.

LAserpitium. ex Fuchsio est Imperatoria, siue Ostrutium, vel Astrantia, vel Smyrnium Tragi, magistrantia vel Ligusticum Anguillaræ, vt scribit Lobellius lib. stirpium Aduersaria Noua cap. de Imperatoria. ex Anguillara est Leuisticum, siue Germanicũ Laserpitium, vel Smyrnium Lacunæ, vel Hipposelinum Matrheoli, vt dicit Lobellius loco citato cap. de Leuistico. ex Cæsalpino lib. 7. de plantis cap. 48. est Angelica vulgo vocata.

LAssulata est Costus Hortensis, siue Herba Sancta maria, vt in verbo Costus.

LAthyron quod vocat Theophrastus ex Cęsalpino lib. 6. de plãtis cap. 7. est Cicercula vulgi, differtq; a Lathyri, quæ est Catapucia vulgaris, vt notat idem Cæsalpinus lib. 9. de plantis. cap. 13.

LAurus. Arbor notissima vulgo Lauro siue Alloro, vel Orbaco Pisis vocatur, & Græce Daphne.

LAurus. Alexandrina Theophrasti ex Cæsalpino. lib 5. de plãtis cap. 29. est Hyppoglossum hoc est BisLingua, seu Bonifatia quę ab ostetricibus nostris vulgo Lingua Pagana vocatur quia folium ipsius aculeatum dum pungit illam Linguam Paruulam quæ solet oriri sub lingua vera, & dicitur il sollingulo, curet & auferat (exeundo sanguinem) talem linguam paganam, vnde forsan & Bonifatia, quia bonum faciat, BisLingua quia habeat folium paruum, supra folium magnum, vnde Glossum hoc est lingua, Hippo hoc est apud. Hodie autem Herbarii nobis demonstrant aliam Laurum Alexandrinam quę non est Theophrasti, Sed Plinii.

LAurus Latifolia, forsan est Laurus Regia vulgaris, quia folia Lata producit.

LAurus perpetuo virens. siue Laurus syluestris est Laurus Tinus, vulgo Lentaggine, vel Lagro saluatico, vt fatetur Author Hist. plant. lib. 2. cap 43.

LAurus tenuifolia, si est eadem cum Lauro pusilla Lobellii, vtiq; ex eodẽ Lobellio lib. stirpium Aduersaria Noua cap. de Chamędaphne, est Mezereon Arabum, siue Chamærhodendron, vel Cha-

mædaphne Dioſcoridis vel Chamælea Germanica Dodonęi,& Tragi, nos dicimus etiam reduci poſſe ad veram Thymæleam, quæ eſt Mezereon Arabum vt in verbo Granum Gnidium dicimus.

LEcticrotaria. eſt Aceris ſpecies. teſte eodem Theophraſto. lib. 3. de Hiſt plant cap. x 1 & Cæſalpinus legit

LEcticrotarium, ſiue Clinotrochon. in lib. 2. de plantis cap. 12.

LEgumina. ſunt fruges, quorum ſemina in cibos veniunt, & varia ſunt, vt V. G. Cicer, Cicercula, Mochus, Faba, Lupinus, Phaſeolus, Piſum, Lens & Vicia, & alia. vt optime notat Cęſalpinus lib. 6. de plantis cap. 1

LEns. eſt eadem ac Phacon apud Theophraſtum. vt dicit Cęſalpinus lib. 6. de plantis cap. x. vulgo Lenticchia.

LEntiſcus. Piſis Sondro vocatur, de quo aliqua ſcitu digna diximus in verbo Terebinthus.

LEo Herba ſiue Leontoſtomi. vide Deſiderium,

LEucantha. Vide in verbo. Spina candida, nam eadem eſt ex Cæſalpino lib. 13 de plantis cap. 49

LEuce; putatur eſſe populus alba a Cæſalpino lib. 3. de plantis cap. 45. & eſt vulgo Pioppo Bianco, ſed intelligit de Leuce Theoph: nam Leuce plinii ex eodem Cæſalpino lib xi. cap. 31. eſt illa Herba Milzadella vulgo dicta, ſiue vrtica Mortua vel innoxia quorundam quę hodie a puerulis Piſanis vocatur Dolcimele quia talis plantæ flores ſi ore exugantur Dulcedinem adinſtar mellis in ore relinquant vnde etiam vocatur Succhiamele.

LEucoium. Vide in uerbo Viola alba.

LEucoium Bulboſum, Leuconarciſſolirion. Vide in Viola alba: Nirciſo a Campanella dicta, & oritur in palludoſis agris vulgo dictis li Bozzi delli Scotti. extra Portam Nouam Piſanam

LIbanos. Vide in verbo Thus

LIbanotis, est eadem planta, ac Rosmarinum a Theodoro Gaza interpretatum. teste Cæsalpino lib. 7. de plantis cap. 44. vbi dicit etiam, quod
Liban otis fertilis est Leuisticum uulgo appellatum.

LIbanotis sterilis ab aliquibus putatur esse illa species Aster Attici, quę vulgo Incensaria vocatur a Cæsalpino lib 12. de plãtis cap. 31. habet enim radices odoratas ad instar Thuris, vulgo l'incenso vocati, quia incendatur, & ardeat; Thus autem dictum fuit a Paratuthio quod est sacrifico, vt in verbo Thus abunde diximus.

LIbanotos, siue Libanos. Vide in verbo Thus.

LIbyca, siue populus Libyca plinij. Vide in verbo Cratægus.

LIchen, idem est ac Epatica, siue Fegatella vulgaris, vt in verbo Bryon marinum dictum est.

LIgnum Aloe. Vide in verbo Agallocchum.

LIgnum Palum. Vide in verbo Guaiacum.

LIgnum Putridum. Vide in verbo Phyllira mas.

LIgnum Sanctum. Vide in verbo Guaiacum.

LIgusticum. si est idem cum Ligustico Dioscoridis ex Dodonæo est Siler Montanum officinarum, siue sesel Massiliense Dioscoridis ex Mattheolo Senensi. at ex Cęsalpino lib. 7 de plantis cap. 46. verum Ligusticum, est illa planta, quæ oriens in Alpibus Liguriæ vulgo vocatur Imperatoria ob suas admirandas virtutes.

LIlac Mattheoli. Vide in verbo Ostria, siue Ostrys.

LIlium Conuallium. Vide in verbo Desiderium, & Lilium vernale.

LIlium inter Spinas. Vide in verbo Voluecrum.

Lilium

LIlium marinum Dioscoridis est idem ac Elium Theophrasti, & a Cesalpino lib. 10. de plantis cap. 23. putatur esse Narcissus marinus.

LIlium purpureum. Vide in verbo Consecratix.

LIlium Theophrasti. a Cæsalpino lib. 10 de plantis cap. 25. putatur esse Narcissus Autumnalis vulgaris, qui de Mente septẽbris primum emittit florem Luteum, deinde marcescente flore folia exeunt; de quo in verbo Lirium aliqua diximus.

LIlium vernale Theophrasti ita a Ioanne Pona creditum in Descriptione Montis Baldi fol 42 putatur esse Lilium Conualliũ hoc est ut puto il Mughetto, dicitq; credi a Fuchsio esse Colchicum non Læthale.

LImnæsion, Limnæum. est Centaurium minus. vt in verbo Centaurium patet.

LImodorum. ex eodem Theophrasto lib 5. de Hist. plant. cap. 22. est planta, quæ Fœnum grçcum interimit protinus radici innascens.

LImonium. Vide in verbo Fremii genus.

LIngua Auis, siue Auis Lingua est folliculus, in quo continetur semen Fraxini.

LIngua Ceruina, à Theodoro Gaza ita interpretata, est eadem ac Scolopendrium, de quo suo loco actum est.

LIngua Pagana Vide in verbo. Laurus Alexandrina.

LInogenista; est Genista vulgaris dicta Ginestra, ex qua tanquã ex Lino fiunt Linteamina, vulgo dicta panni di Lino, & in Muſço Abundantissimo, ac Elegantissimo Serenissimi Magni Ducis Etruriæ Pisis Collocato, vulgoq; dicto La Galleria del Giardino de Semplici di Pisa. Reperiuntur aliqua Linteamina vulgo Touagliolini dicta, ex Genista conflata. Vel forsan & melius est illa

planta

planta vulgaris apud infectores siue Tinctores vocata Baccellina, vel Ginestrella, quia profert Baccas paruas ac depressas ad instar Genistæ, & respectu Genistę veræ, quia est paruula, Ginestrella vocatur, & vt notum est talis plantula profert folia eadem, ac Linum vulgare, oriturq; illius maxima copia sponte, loco extra Pisas vocato in Contano, qua fit iter versus Collem Saluettum dictum & tempore æstiuo venundatur infectoribus, & est apud ipsos in vsu ad colorem Luteum efficiendum.

Laterna Anguillaræ. Vide in verbo Celastrus.

Laternum aliquorum, est Ilatrum vulgare, siue Phylica Theoph.

Linum. est planta nota, ex qua fiunt varia Linteaminum genera. & circa ipsum Linum aliquando oritur Cuscuta, vt in verbo. Cadytas diximus.

Liparea, est eadem, ac Colutea vesicaria vt suo loco dictum est.

Liquiritia. Vide in uerbo Scythica Radix.

Lirium. est Colchicum Luteum Latinorum, siue ephemerum non venenatum Dioscoridis, vel Narcissus Autumnalis ex Lobellio lib. stirpium Aduersaria Noua cap. de Colchico & Cæsalpinus lib. 10. de plantis cap. 22. videtur asserere Lirium esse, ac vocari posse omnes species Narcissi.

Lolium. ex Cæsalpino lib. 4. de plantis cap. 49. est idem ac Aerea Theophrasti. vulgo autem il Gioglio dicitur.

Lolium vernum. forsan erit idem cum Lolio syluestri, Italice Gioglio saluatico vocato.

Loti arboris fructus à Cæsalpino lib. 2. de plantis cap. vltimo putatur esse Diospyron Theophrasti, vt in verbo Diospyron dictũ est

Lotus Arbor. Italice Bagolauro, siue Perlaro & apud Lobellium lib. obseruationum cap. de Guaiaco. putatur vera Lotus Theophrasti esse Guaiacum Patauinum. A Cæsalpino lib. 2. de

plan-

plantis cap. 52. putatur esse Celtis, de qua Vide in uerbo Celtis, vbi aliqua scitu digna dicere conati sumus.

LOtus Ægyptia. ex Cæsalpino lib. 15. de plantis cap. 8. uidetur reduci ad Genus Nymphææ. siue Nenufaris; cuius radix rotunda est, cotonei malo ampletudine Cortice nigro quali nux Castanea tegitur & Corsium appellatur, & optime describitur ac figuratur apud Authorem Hist. plant. lib. 9. cap. 59. ex Codice Cæsareo.

LOtus herba, forsan est idem ac Mel Frugum eiusdem Theophrasti, de quo in uerbo Mel Frugum. nisi dicamus esse idem ac Melilotum uulgare, hoc est Trifolium flore Luteo odorato, quo hodie utuntur Aromatarij ad fomenta, siue emplastra cõficiẽda.

LOtus secundus Polybij. Vide in uerbo Cratægus.

LVcciola. Vide ophioglossa, siue ophioglossum, & copiosius in uerbo. Herba Lucciola.

LVcernula, à Theodoro Gaza ita interpretata. reducitur a Cæsalpino lib. 6. de plantis cap. 43. ad Lychnidem Coronariam recentiorum, ita dictam quia ualeat ad elichinia, uulgo Lucignoli, conficienda in Lucernis est enim tota planta tomentosa. hoc est Lanuginosa siue pilosa, ut est Gossipium, siue Bombax, & uulgo la Bambagia, quę est in usu pro elychiniis.

LVpinus, nisi esset tam notus a nobis obseruaretur.

Lychnis Coronaria. vide in uerbo Iouis flos & in uerbo Lucernula

LYchnis syluestris rubello flore Lobellij. Vide in uerbo Hesperis.

LYcium. Vide in verbo Apharca.

LYcnitis Apulei. Vide in uerbo Lanaria.

LYnospartum, est idem ac Linogenista, de qua uide supra & talem opinionem sectatus fuit Cęsalpinus lib. 3. de plantis cap. 35.

Madonia

MAdonia, est Radix Nymphex, seu Nenupharis ex eodem Theophrasto lib. 9. de Hist. plant cap. 13.

MAgidaris. est quid tenerius Laserpitio, ac minus vehemens, ac sine succo, & ita differt a Laserpitio, adeo vt (Si licet hic meam proferre sententiam,) dicerem illam Angelicam Campestrem quæ a recentioribus dicitur Podagraria, quia conferat ad Podagras & est Angelica Locis humectis. ac circa foucas oriens, sit vera Magidaris.

MAiorana est Helenium Theophrasti siue Persa Gentile dicta vt in verbo Helenium.

MAlinathalla, siue malinathalle putatur a Cæsalpino lib. 4. de plantis cap. 63. esse Trasi vulgo appellatum in Agro Veronensi, & sunt Radiculæ dulces cypero oliuari similes, sed Candidæ, molles, ac dulces, quas zizolas Terrestres aliqui vocant. eandem opinionem habuit Fabius Columna in suo Libro plantarum Aliquot Historia cap. de Ægyptiorum malinathalle Theophrasti, vbi quoq; asserit Malinathalli esse nomen Græcum, quod apud Latinos significat, valde regerminare, vnde Radices talis plantæ tot sunt, vt vna videatur Germinare aliam, & quia sunt Dulces hinc factum est vt vulgo Dolzolini, siue Dolciulini appellentur.

MAla Punica. sunt eadem ac Granata, seu melagrane, vel melingrani vulgo vocata.

MAlua. absq; dubio apud Theophrastum est illa nostra Arborea siue Arborescens dicta, vt optime notat Cæsalpinus lib. 14 de plantis cap. 30.

MAlua vero syluestris eiusdem Theophrasti est Hibiscum Gazæ siue Maluauiscus, qui vulgo Baiucolo vocatur, & Althæa alio nomine vocatur.

MAlum Terræ. ita à Theodoro Gaza intærpræetatum, est idem ac Tuber terræ, & est Cyclaminus Grecorum, & Latinorū, ac Pamporcinus vulgarium, siue Arthanita Arabum & præcipue melues in Libro de Simplicibus in quibus est venenositas cap. de

Arthanita, vt optime notat Cæsalpinus lib. 9. de plantis cap. 38. ex quo fit vnguentum de Artanita, quod in pueris prouocat vomitum si imponatur supra stomachum, si vero supra intestina aluum Lubricam facit, hoc est corpus mouet.

MAlus. tam arbor, quam fructus notissima sunt, & hodie ipsarum multę ac fere infinitę sunt species, & vulgo Meli dicuntur arbores, Mele Fructus.

MAlus Medica, malus Persica, apud Theophrastum sunt vnum & idem ex opinione Cæsalpini lib. 3. de plantis cap. 59. & est Citrus, vulgo Cedro dicta, sic putauit Aloysius Anguillara Parere 4. cap. de Citris.

MAlus Punica. est malum Granatum, vulgo melagrano, siue Melingrano dictum.

MAlus verna. quia forsan in vere primo loco Maturescat.

MAndragora. Si solum Legamus ea verba, quæ protulit de ipsa Theophrastus in lib. 6. de Hist. plant cap. 2 dum dixit quod Mandragora Constat Caule proximiori ferulæ, & fructus peculiaris, quod niger, racematus, vinosusq; sapore sentiatur, vtiq; Fatemur vna cum Cęsalpino lib. 4. de plantis cap. XI. esse Gelleminum rubrum, nuperrime visum in Viridariis, quod vocatur vulgo Gelsomino di Spagna, siue marauiglias del Perù, cuius variæ species hodie reperiuntur, nam in eadem planta aliquando visum est flores esse albos, rubros, Luteos, & diuersicolores, qui per solem clausi manent, ante solem in mane, & post solem de sero, & in tota nocte manent aperti, & patuli, videnturq; esse facti ad similitudinem Campanæ.

At si alia verba consideremus, quę profert idem Theophrastus lib. 9 de Hist. plant. cap. 9. & lib. 6. de Causis plantarum cap 4. absq; dubio conamur dicere esse mandragoram vulgarem, quæ pro tali ab omnibus Herbariis circumfertur; & est illa de qua illud falsum, ne dicam falsissimum dicitur, nempe ipsam ortum habuisse a semine humano, & idcirco eius radices effigiem humanam referentes, seu vt melius dicam sexum masculinum uel fœmininum, pro vt tales CircuLatores prius Scalpello & arte conficiunt, adhoc vt

talem opinionem vanam probent.

Non me latet Aloysium Anguillaram Parere Quinto de simplicibus cap. de Mandragora asserere Mandragoram Theophrasti, esse illam herbam quę Herba Bella donna, ab aliis Faba inuersa, & ab aliis Solatrum maius vocatur. Tandem hoc etiam de Mandragora obseruatu dignum esse putaui, nempe Cæsalpinum nostrum lib 5, de plant. cap. 24. de duobus generibus nouis Mandragorę in Horto Pisano virescentibus mentionem facere flore purpureo constantibus, quorum primum folio constat Hirsuto vt Anchusa, floret circa brumam, fructum nunquam perficit. Alterum ex Sicilia aduectum est foliis Lactucæ Germinat & floret circa æquinoctium Autumni, vt de Mense Nouembris videri potest in Viridario Pisano in Spalto siue Quadro vocato de venenis.

MArifica herba, est eadem ac Phyllum, de quo suo Loco.

MAriscus. Genus est Iunci. ex Theophrasto lib. 4 de Historia plant. cap. 13. & ab Authore Hist. plant. lib. 9 cap 1. Iuncus Latus hoc est LatiFolius vocatur,

MArittimum Granum. a Cæsalpino lib. 9 de plantis cap. 9. dicitur esse Titymalus Marittimus, qui a Dioscoride Paralion vocatur.

MArmoraria herba quæ sit, & quare. vide in verbo Acanthus, & est Branca vrsina vulgaris.

MArrubium. cum sit descriptum duorum generum a Theophrasto. Cæsalpinus lib. xi. de plantis cap 23. putauit primum genus Marrubii ipsius Theophrasti esse Cardiacam vulgarem. quæ in Raderibus nascitur. Secundum vero esse marrubium vulgare omnibus notum, suoq; proprio nomine vocatum, vt dicit idem Cæsalpinus libro citato, sed in cap. 26.

MAsperum. est folium Laserpitii.

MAter Herculania. Vide Nymphæam.

MAtersylua. Vide in verbo volucrum.

MAtrisylua. Vide in verbo Centeria ita a Cæsalpino lib. 9. de plantis cap. 43. dicta.

MEdica herba. ex Cæsalpino lib. 6. de plantis cap. 20. dicitur seri in Hispania fœni gratia, & Alfalsam ab ipsis Hispanis vocari corrupto vocabulo Arabico Alfasafat, sic testatur Author Hist. plant. lib. 4 cap, 67. quo loco tres medicas describit atq; depingit, vnam satiuam & duas syluestres & in lib. xi. cap. 3. depingit quartam, quæ ab ipso vocatur medica syluestris altera Lunata.

MElampyron, siue melampyrum. est Triticum Vaccinum Cordi, & Dodonęi, siue Alopecuros Plinii ex Lobellio lib. stirpium Aduersaria Noua cap. de melampyro, At ex Cæsalpino lib. 9 de plantis cap. 35. est illa herba, quæ Guadarella vulgo vocatur ab infectoribus. Author Hist. plant. lib. x. cap 52. ex opinione aliquorum asserit melampyrum esse idem ac Lithospermum Nigrum Dalechampii.

MElampodium. Ellebori species est, ex eodem Theophrasto lib. 9. de Hist. plantarum cap. 11. quę a Cæsalpino Libro xv de plantis cap. 28. putatur esse Elleborum nigrum.

MElancranim, siue melancranis ex Cæsalpino lib. 4. de plantis cap. 60. est ille Iuncus, qui semen nigrum profert.

MElanthium. Vide in verbo Nigella.

MEleghetta. Vide in verbo Cardamomum.

MEl frugum. Dubitatiue proponitur a Matthia de Lobel libro obseruationum, an sit Lotus hortorum odora, vel Trifoliũ Aspaltæum Dioscoridis, Fuchsii perperam, vel Lotus Satiua, siue Trifolium odoratum alterum Dodonæi, vel Lotus syluestris Anguillaræ, & Mattheoli. Et Cęsalpinus lib. 6 de plantis cap. 17. dicit esse Lotum syluestrem, quæ vulgo Trifuli, & corrupto vocabulo Tripuli vocatur, & ego existimarem potius esse vocem corruptam a Trifolio; esseq; dicerem illud Trifolium Fruticosum flore Luteo odorato sed acuto nascens locis campestribus circumuicinis Pisas, vnleq; flores destillantur hodie a Reuerendis Fratribus Iesuatis vul-

go di San Girolamo vocatis, & inter aquas odoratas, sed acutas po-
nuntur.

MElia, est Fraxinus montana dicta Orno, siue Orniello ex opi-
nione nostra.

MElica, est Saggina vulgaris, ex Cæsalpino lib. 4. de plantis cap. 53.

MElilotum. Dioscoridis & Plinii ex Cæsalpino lib 12 de plan-
tis cap. 12. Vide in verbo Costus.

MElinem. vocari a Theophrasto Panicum asserit Cæsalpinus lib. 4 de plantis cap. 52.

MElothron. est Bryonia, siue Vitis Alba Dioscoridis, quæ a re-
centioribus Herbariis Cucurbita syluestris, & vulgo Zucca saluatica vocatur, quia eius folia habeant similitudinem cum foliis cucurbitæ vulgaris, quæ vulgo Zucca vocatur. Excellentissimus Baldellus Baldellius Cortonensis, (qui publice Pisis ab anno Domini 1572. vsq; ad totum annum 1596. Simplicia medicinæ profes-
sus fuit) putabat, vt audire potui a Viris Fide dignis, talem Bryoniam esse Mechoacan Italicum, & iure optimo, nam si quis accipiat Frustula Mechoacan veri, videbit esse eadem in colore, sapore, ac fere figura, cum frustulis Bryoniç, solum autem variant inter se, quia adhoc ut nostra Bryonia possit soluere, & mouere corpus sicut facit verum, & electum Mechoacan, debet exhiberi, & accipi ad quantitatem trium, vel quatuor Drachmarum quod non euenit in Mechoacan, cuius ad summum duas damus Drachmas, vt omnes Medici Practicantes Excellentissimi sciunt, & huius rei causa forsã est, vt puto, quia Mechoacan verum Locis calidioribus ac sicciori-
bus oriatur, quam faciat nostra Bryonia. Et sicuti apud Aromata-
rios nostros reperitur Mechoacan Album, & nigrum, ita etiam in montibus Pisanis præcipue in Valle nobili Agnanensi vulgo dicta Agnano; quo loci manent Admodum Reuerendi Monachi Oliue-
tani, sed in maxima quantitate circa sepes circumuicinas Ecclesiæ vulgo vocatæ La Pieue positæ in Valle Calcensi, reperitur Bryonia alba, & Nigra differentes quo ad Radices, quo ad folia differunt etiam inter se nam Alba, folia Cucurbitæ emittit, Nigra vero, folia

Simi-

Smilacis asperæ, sed non spinosa & hæc Nigra ni fallor est verum Melothrum a Theophrasto descriptum lib. 3 de Hist. plant. cap. 18. cum non solum habeat folia Smilacis, sed etiam fructus Similes Smilaci.

MElotton. est Amara Dulcis, siue Circea Dodonęi, siue Cyclaminos altera Plinii, Siliquastrum Guillandini, Vitis syluestris Mattheoli, & Solanum Lignosum ex Lobellio lib. stirpium Aduersaria Noua cap. de Amara Dulcis sic putauit Ioannes Pona in Descriptione Montis Baldi fol. 143.

MEmecylon. est idem ac Arbutus, vulgo L'Albatro, a quo oriũtur illi fructus rubicundi, rotundi & Dulces, vulgo Albatre siue Arbatrelle dictę. ex Cæsalpino lib. 3. de plantis cap. 19. & Authore Hist. plant. lib. 2. cap. 36.

MEnianthe palustris. Dubitatiue proponitur a Lobellio lib. obseruationum cap. de Trifolio Paludoso, an sit Trifolium Paludosum, an ne Isopyrum Dioscoridis, vel Trifolium palustre Cordi, & Dodonæi.

MEnsiflora. cum solum a Theophrasto lib, 4. de Hist. plant. cap. XI. dicatur ipsam oriri in Lacu Orchomenio, difficile asserere possumus quæ nam existat. nisi dicamus esse Caltham Poetarum vulgo Fior Rancio vocatam quæ singulis mensibus florescit, imo semper florida inuenitur, vnde Calendula etiam vocatur vt in verbo Calendula dictum est.

MEnta. Variæ eius species, omnibus notæ, de quibus aliqua diximus in verbo Sisymbrium.

MEntastrum. Notissimum est.

MEntha græca, Mentha Saracenica. Vide in verbo Costus.

MEspili humiles sunt illæ plantæ quæ vulgo Bagolæ, siue Bacolæ vocantur in alpibus quasi Bacculę, hoc est Baccę paruæ, sunt enim Fructus dulces & subacidi paruis vuis similes in maturitate nigri, duasq; species nobis demonstrant Alpini, vt optime no-

tat

uit Cęſalpinus lib. 5. de plantis cap. 14.

MEſpilus. Arbor nota; cuius fructus in cibis expetitur, & Neſpola vocatur.

MEzereon Arabum eſt Chamęlæa & Thymelæa.

MIlium. Notiſsimum eſt. vulgoq; miglio dicitur, & Cenchron Græce interpręiatur a Cæſalpino lib. 4. de plantis cap. 51.

MIlos eſt Taxus Arbor, ſeu Smilax Arbor venenata ex Lobellio lib. obſeruationum cap. de Taxo, vulgoq; Naſſus vocatur ex Cæſalpino lib. 3. de plantis cap. 54. & ex tali Taxo, orta ſunt illa venena quæ Toxica vocantur.

MIlzadella. Vide in verbo Leuce.

MNaſium. eſt quid in Ægypto naſcens cibo Idoneum, præſtat enim dulcedine, copiaq; Alimoniæ ſicut Papyrus, & Sari, de quibus ſuo loco, & hoc teſtatur Theophraſtus lib. 4. de Hiſt. plant. cap. 9. & a Cæſalpino lib. 4. de plantis cap. 64. videtur eſſe reductum ad Pſeudocyperum, & talis Pſeudocyperus nil aliud eſt, quam illa herba, quę ſecatur pro foeno, & pro tomento Lectis ſubſternitur, & Noccum vocant illi Artifices, qui vulgo dicuntur matraſſai, qui implent, vt Lingua Materna dicitur, Li Sacconi, ſiue Pagliarie ci pieni di Nocca.

MOlocchia eſt eadem ac Alimus, vt in verbo Auro.

MOly. ni fallor eſt illa cæpa magna ſiue Bulbus magnus folio ſcyllę cuius maxima oritur quantitas in agris exiſtentibus loco dicto a Pappiana;

MOly ſpecies. eſt Epimenidium ex Cæſalpino lib. 10. de plantis cap. XI. vt in verbo Epimenidium dictum eſt,

MOntapium. eſt illa planta Cerefolium uulgo appellatum. ita nos docet Cæſalpinus lib. 7. de plantis cap. 41.

morſus

MOrsus Gallinę folio Hederulę Anguillaræ. Vide in verbo Lappago.

MOrsus Ranę. Vide in verbo Nymphæa.

MOrus. Vide in verbo Sycamines, & ex Cæsalpino lib. 3. Plantis cap 3. est vulgo il Gelso Moro.

MOrus Ægyptia. est eadem ac Ficus ægyptia siue Sycomorus eiꝰ Auth. Hist. plant lib 5. cap. 19.

MOrus serotina. ni fallor, est illa Arbor quæ vulgo Gelso moro, hoc est vulgares Gelsas nigras siue rubras & nigras profert, nam succus ipsarum vinosus est vt asserit Theophrastus lib. 1. de Hist. plant. cap. 19.

MVghetto, Vide in verbo Desiderium; vbi ethymologiam ipsius & Lilii conuallii reperies.

MVla, siue mulæ herbę folium a Theodoro Gaza interpretatum à Cæsalpino lib. 16. de plantis cap. 7. vertitur Hemionium, & in cap. 8. eiusdem Libri reducitur ad Hemionitim, quæ nihil aliud est quam Lingua Ceruina foliis in angulum acutum fastigiatis figura sagittæ.

MVricida. ex ęthimologia nominis videtur dici posse omnis plāta quę mures interficiat, quę autem talis sit, hoc opus, hic labor, nisi dicamus esse Aconiti speciem quæ Græce myoctonos dicitur

MVscipula. Vide in verbo Silene.

MVscus marinus. est idem ac Corallina Recentiorum. vt in verbo Algacrinito folio cognominata satis dictum est; & in verbo Trichophyllon.

MVuscus quernus. Vide in verbo Brium.

Muscus saxorum.
Muscus Terræ. Vide in verbo Brium.

MYacanthus ex Lobellio lib. obseruationum cap de Carduo Stellato, est Carduus Stellatus, siue Stellaria, & Calcitrapa, Polyacantha Cordo perperam, Spina alba vera Rondeletij, an Theophrasti Tribulus folio Cicerculæ Ruellio. Sed quæso videas in verbo Phleos, siue Phleum, vbi aliqua scitu digna enarrauimus

MYagros. Licet talis vox non describatur a Theophrasto, tamen ex Cæsalpino lib, 9. de plantis cap 35. est idem ac Melampyron, de quo suo loco dictum est.

MYoctonos. Vide in verbo muricida.

MYrica. est Tamariscus, siue Tamarix, & vulgo Tramarice, sic asserunt omnes Herbarii, & præcipue Cæsalpinus lib. 3. de plantis cap. 47.

MYrrha, a Theophrasto connumeratur inter lachrymas odoratas, quibus ad vnguenta vtuntur, vnde Cæsalpinus lib. 2. de plantis cap. 29. putauit iure optimo, meo quidem iudicio, esse Belzoi, siue Belzoinum, vel Beniuinum, vel Ben Iudæum, vt testantur Leonarthus Fuchsius in libro de Hist. plant. cap. 292. & Garcias ab Horto in lib 1. de Aromatum Historia apud indos Nascentium cap. 3. circa finem, & ego dico tale Belzuinum esse Myrrham electam Sacræ Scripturæ, quę dicit in Ecclesiastico cap. 24 hæc pulcherrima verba. Quasi Mirrha electa dedit suauitatem odoris.

MYrtaria ex Theodoro Gaza, referente Lobellio libro stirpium Aduersaria Noua de Tithymalo Myrsinite, est Mirsynires, siue Tithymalus Myrtifolius, talemq; opinionem verissimam Licet Lobellius non fateatur, puto tamen ipsum illam desumpsisse a Cæsalpino lib. 9. de plantis cap. 10.

MYrtus. Frutex est, siue melius Fruticosa arbor, vulgo Mortella dicta.

MYrtus syluestris, est Ruscus, siue officinarum Bruscus Cæsalpinus lib. 5. de plantis cap. 28. vulgoq; hodie dicitur Pungitopo, quo vtuntur mulieres ad munienda vasa florum Garyophyllorum, ne commedantur a muribus, vnde nomen vulgatum

K Pungi-

Pungitopo. Sed animaduersione dignum est, talem vocem vulgatam Pungitopo esse ęquiuocam ad duas plantas, nempe ad Myrtum syluestrem siue ad Ruscum, & Bruscum, vel ad Paliurum, siue Aquifolium superius dictum & infra dicendum.

NArcissus. Hodie est vox ęquiuoca ad multas plantas floriferas, sed Bulbosas.

NArcissus Autumnalis. Vide in verbo Lilium, & Lirium.

NArcissus Marinus. Vide in verbo Elium.

NArdus. est Spica Nardi officinarum; sic videtur asserere Cęsalpinus lib. 16 de plantis cap. 27.

NArthecia est Ferulago, Narthex est Ferula, asserente Cęsalpino lib. 7. de plantis cap. 2 nempe Ferula est Mas, Ferulago est fœmina.

NAsturtium. Procul dubio est vulgarium Mastorcio, seu Agretto, & Nasturtio; ad Nasturtium etiam hodie reducitur illa planta quæ producit illos flores Luteos vagos Gemmini vocatos Pisis ab omnibus non solum Reuerendis Monialibus Pisanis, sed etiã ab omnibus mulieribus, de cuius nominis Gemmini æthymologia aliqua dicam in præsenti, postquam temporibus nostris tale nomen inuentum fuit, & non est quod puteris Gemminos vocari quia sint pulchri flores, & desiderentur vt Gemmæ, sed ortum habuit a Muliere quadam vocata Gemma quæ famulabatur Reuerendo D. Bernardino Franceschinio Cappellano admodum Reuerendarum Monalium Sanctæ Martæ Pisarum, quæ quidem mulier fuit prima quæ communicaret tale Nasturtium Indicum, siue rotundifolium omnibus fere Monialibus Pisanis, atq; ab ea denominationem postea accepit, fuitq; anno circiter 1606. quo tempore semen habitum fuit vna cum aliis seminibus Indicis a Præceptore meo F. Francisco Malocchio. Hoc etiam sciendum apud venerabiles Moniales Sancti Siluestri Pisarum vocari tales Flores Nasturtii, Fratini, & hac de causa ni fallor, quia eorum Figura sit facta adinstar Caputii quod a Reuerendis Fratribus Gestatur.

Nelca.

NElea. est eadem ac Vnedo. & ex Cæsalpino lib. 3. de plantis cap. 19. reducitur ad Arbutum, siue ad Albatrum vulgarium, a quo oriuntur illi fructus, Albatre vocati.

NEpa. est planta spinosa, quę vulgo Spina Christi appellatur a Cæsalpino lib 3. de plantis cap. 37. alioq; nomine Scorpius vocatur a Theophrasto ex opinione eiusdem Cæsalpini loco citato.

NEpita. est planta notissima. pisis vulgo Niepitella vocata.

NErium est Oleander. vulgo dictus Pisis Alloro d'India, siue Massa di Santo Giuseppe; & alio nomine Græco Rhododendron, seu Rhododaphne: cur vocetur Alloro d'India. ratio est in promptu, nam folia eius semper virescunt sicut folia Lauri, & ex India forsan primam originem habuerit

Oleander forsan vocatur quia sicut Olea folia semper uirentia habet, ita & Oleander semper virens existat, nec frigus pertimescat. Rhododendron autem dictum fuit, quia flores emittat similes in colore cum rosis, & hoc intelligite de rubro, qui est vulgatissimus, Licet etiam intelligi queat de Albo, & tandem Rhododaphne vocatum fuit quia folia sint. similia cum foliis Daphnes hoc est Lauri vulgaris, & flos sit similis cum Rosis vt supra dictum est Rhodos enim est Rosa, Daphne est Laurus: ex quo sicco & in puluerem tenuissimum redacto cum Oleo & cera hodie fit vnguentum optimũ ad Scabiem. sed quoniam fætet, cum vnguento rosaceo, vel cum Storace liquida ego ipsum permiscerem. & sic odor prauus auferetur. Sed aduertendum quod aliqui legunt Nerum, non Nerium. quia Theophrastus lib. 9 de Hist. plant cap 7. ad vnguenta vtile esse testetur & Cæsalpinus lib. 4. de plantis cap. 3. Legit Nerum, & inquit quod.

NErum est Nardus montana, quæ radices valde odoratas habet.

NIcotiana. Vide in verbo Tornabona.

NIgella, & melanthium sunt vnum, & idem apud Recentiores Herbarios cuius flos pisis Damigella vocatur at tamen Cæsalpinus lib. 12. de plantis capite 26. videtur asserere Nigellam à Theo

doro Gaza interpręratam esse illam plantam, quę primu Lauėris flos pratensis vocatur vulgo Fior di Primauera. & in eodem Libro capite pariter eodem circa finem dicit Cæsalpinus Nigellam foliosam ita a Theodoro Gaza interpratatam esse Bellim maiorem flore candido, quæ iuxta viuias nascitur.

Nigella citrina. Vide in verbo Cardamomum.

NOdus arborum, est idem ac Gongrus Arborum vt in verbo Gongrus dictum est.

NVmularia. Vide in verbo Erestedanum. & forsan est nomen Corruptum a Nummulo, vel ut alii legunt, a Mimmulo Plinii de quo agit Plinis lib. 18. cap. 28.

NVx. à Nocendo forsan dicta est, quia capitis grauedinem ob odoris grauitatem proferat, vnde Carya græce vocatur, vt in verbo Carya dictum est.

NVx Auellana & Nux Herculea sunt vnum & idem ex Cæsalpino lib. 2. de plantis cap. vi. vulgo, Nocciolo, siue Nocciuole.

NVx Castanea tanquam notissima, tum arbor Castagno dicta, tum Fructus vulgo Castagne dictæ. ab'q; obseruatione relinquitur. Hoc autem non præteribo quod in Viridario Pisano reperiuntur aliquæ arbores vocatæ Castanæe equinę, quæ sunt Pulcherrimæ, & e Costantinopoli habitæ fuerunt a Præceptore meo Amantissimo Fr. Francisco Malocchio Florentino.

NVx Euboica. est eadem cum Castanea vulgari ex Cæsalpino lib. 2. de plantis cap. 4. nam Euboicum est Castaneæ fructus crusta siue spinoso Cortice obductus.

NVx Herculea. est eadem cum Nuce Auellana. ex Cæsalpino lib. 2. de plantis cap 6. vulgo dicitur Nocciuolo, siue Nocciuole.

NVx Iuglans. est eadem ac Nux vulgaris. ex Cęsalpino lib. 2. de plantis cap. 5.

Nym-

NYmphæa, siue Nenuphar, sunt vnum & idem. & est Planta Palustris siue Aquatica quæ folia rotunda Latifolia, ac supra Aquas innatantia producit vt videre est in Palludibus vocatis alla Fonte di Caldaccoli supra Balnea Pisana, qua fit iter alla Fonte di Santo Torpè, quo loci concurrunt Mulieres Lactentes quando ammiserunt Lac, ad ipsum recuperandum: in talibus palludibus reperitur Nymphęa Maior, Minor, & media, flore albo, flore autem Luteo reperitur in fluuio, siue Fouea Magna quę est versus Vallem Calcensem loco dicto a Vicascio, talis antem Fouea vulgo vocatur il Fosso della Vicinaia, & oritur a Paludibus Calcensis Vallis, proceditq; ad Aqui Ductus Fontium, versus Flumen Osari vocatum; Præterea etiam Sciendum est Nymphæam vocari Matrem Herculaniam, ab Apuleio, Algam Palustrem, Papauer palustre, Clauum veneris, Digitum veneris. & a Marcello Virgilio Clauum Herculis, sic nos docet Rembertus Dodonæus lib. de Hist. Leguminum Palustrium &c. cap. 105. & idem Dodonæus lib. citato cap 103. asserit Nymphæam paruam vocari Morsum Ranę, siue Ranę morsũ.

OChros, siue Ochrus. ita a Cæsalpino interpretatus lib. 6. de plantis cap. 6. est Eruilium, quod vulgo Rubilium vocant, & est tamquam Piseolus syluestris.

OCimum. Vulgo il Basilico dicitur. Sed intellige de Ocymo Dioscorides, nam.

OCimum, siue Ocymum Theophrasti, cum radices Lignosas habeat, vt dicit lib. 1. de Hist plant. cap 9. & 10. est planta, quæ à Cęsalpino lib. 4. de plantis cap. 48. connumeratur inter frumentacea, proprioq; nomine Auena Græca dicitur, quę quia cito prouenit, idcirco Ocymum vocatur.

OCulus Caninus, siue Oculus Canis. est connumeratus à Theophrasto inter Olera Spicosa, & a Cæsalpino lib. 8. de plantis cap. 21. putatur esse idem, ac Canaria apud Theodorum Gazam, quæ Cynopa, seu Psyllium vocatur, vt abunde dictum est in verbo Cynopa.

OCulus Christi. siue flos Constantinopolitanus. Vide in verbo Lanaria.

Oenan-

OEnantha, Oenanthe. si non debet a floribus excludi, & semine serenda est, ut asserit Theophrastus lib 6. de Hist. plant. cap. 7. meo quidem Iudicio est Oenanthe Filipendula a recentioribus vocata, quæ Loca Pratensia Montana amat foliis Mille folii sed asperioribus, & non adeo virentibus. Non autem est Oenanthe aquatica, nam talis inter Floriferas herbas recte connumerari non potest. Sed aduertendum vt notat Cæsalpinus lib. 14. de plantis cap. 14. quod quando Theophrastus lib. 6. de causis plant. inter odores dicit quod Oenanthe siccata plenius Oleat, intelligitur de flore Labruscę, quam Dioscorides lib. 5. cap. v Oenanthem vocat hoc est vitis syluestris fructum.

OEnethera secundum opinionem Cæsalpini lib 6. de plantis cap 70. est Onagra recentiorum, quæ nascitur iu Alpibus locis aquosis, virgis ac foliis salicis, & flores Roseo colore speciosos producit.

OLea, si Loquimur de Arbore, est vulgo l'Oliuo, si de fructu est vulgaris Oliua.

OLeagnus, siue Oleangnus. hoc est arbor, quę habeat speciem Oleæ & Angni, siue Agni, hoc est viticis, & est species illa Salicis, quæ quarto loco a Cæsalpino lib 3. de plantis cap. 46. ponitur & describitur, sub nomine vulgari, Vetrice.

OLeaster, est Olea syluestris.

OLera. Sunt illę herbę, siue plantæ, quæ nobis sint in vsu cibario.

OLiuella. est Chamęlæa. de qua Vide in verbo Cneorus candida.

OLusatrum Latinorum, est Macerone vulgarium. Vide Equapium.

OMphalocarpos. Vide in verbo Lappa.

ONonis, siue Anonis, & Resta Bouis, forsanq; tali vulgato nomine vocata fuit meo Iudicio, quia faciat sistere Boues ne vlterius

terius procedant, est enim tota Spinosa, & Suis Spinis illos pungat, quasi Materna Lingua dicat Resta cioè sta Fermo non andare più auanti.

OPhyoglossa, Ophioglossum. est nomen Græcum, sed recentiorum, & est idem ac Lingua Serpentina, Ophis enim est serpens, glossum est Lingua, & est Lucciola vocata, siue Herba Lucciola, quia noctu Lucet, ex Cæsalpino lib. 16. de plantis cap. 17. vt diximus etiam in verbo Herba Lucciola.

OPitio. est planta Bulbosa, vt Sisyrinchium ex Theoph. lib. 7. de Hist. plant. cap. 13.

OPuntia. Vide in verbo Ficus Indica.

ORdeum. inter Triticorum genera connumeratur. vulgo L'Orzo dicitur, sed verum Ordeum Theophrasti est Hordeum nudum, vulgo Orzo Mondo vocatum, vt in Littera Hordeum dictum est.

ORiganum. est planta Montana notissima. vulgo legamo dicta

ORiza. Tritici genus. vulgoq; il Riso dicitur.

ORnithogalon est vulgo Latte di Gallina. de quo Vide in verbo Bulbina.

ORobancha, putatur a Cæsalpino lib. 8. de plantis cap. 42. esse Cuscuta, quæ oritur cum Lino conuoluta, & esse eadem cum Eruanga Theodori *Gazæ*. At *Aloysius Anguillara* libro 5 de simplicibus parere vocato cap de Orobanche putauit illam esse Helxinem Cissampelos dictam, a *Patauinis* vocatam Broeggiam, quam ego puto esse Conuoluulum recentiorum, & vulgo il vilucchio, qui adeo adhæret plantis, vt illas enecare velle videatur, vnde nomen Orobanche acceperit.

ORobus. Eruum a Theodoro Gaza vertitur, & sunt Cicerculæ species, quæ Mochi dicuntur ex Cæsalpino lib. 6. de plantis cap. 8.

OS Leonis. Vide in verbo Anthirizon. vulgo Bocca di Leone.

OStria, siue Ostrys. reducitur ad Carpinum uulgarium a Cæsalpino lib. 2. de plantis cap. 7. & ab Authore Hist plant. lib. 3. cap. 23. ex opinione aliquorum putatur esse Syringa, tum flore albo Clusii, tum Syringa flore Cœruleo, siue Lilac Mattholi.

OStrutium. Vide in verbo Laserpitium.

OXyacanta, Oxyacantum, seu Acuta Spina, est Lycium asserente Cæsalpino lib. 3. de plantis cap. 16. & hoc intelligatis de Oxyacantha Theophrasti, nam Oxyacantha Diosc. est Prunus albus

PÆonia. putatur à Cæsalpino lib. 15. de plantis cap. 36 esse eadem ac, Casta a Theodoro Gaza, ita interpretata, & a nonnullis Dulcisida.

PAliurus Theophrasti est Rhamnus tertio loco descriptus a Dioscoride lib. 1. cap. 102 vt asserit in fine capitis 38. 2, libri de plantis Cæsalpinus. & differt a Paliuro Dioscoridis, nam talis est vulgo Pungitopi vocatus, ob folia sua spinosa, vt in verbo Acarnica Rigua dictum est.

PAliurus Aphricanus. Putatur a Lobellio lib. obseruationum cap. de Iuiube Arabum, esse Zizipha Grecorum, vulgi Zizolo, & quoq; existimatur esse forte Cratægus eiusdem Theophrasti, vt in verbo Cratægus videre potes. eandem quoq; opinionem habuit Cæsalpinus lib. 3. de plantis cap. 24.

PAliurus in Græcia nascens Theophrasti, secundum interpretationem Theodori Gazæ, est Iuiuba Syluestris, quam in Hetruria Spinam Marrucam vocant, vt testatur Cæsalpinus lib. 3. de plantis cap. 25.

PAlupadium, est idem ac Eleoselinum. ex Cæsalpino lib 7 de plantis cap. 39. & est idem ac Sion, vulgo Crescione, & Herba Cannella dicitur. Sed vide aliqua scitu digna in verbo Eleoselinú

PAnax. est planta hodie Herbariis nota, & Maxime Panax Heracleum, seu Herculeum. vulgo dictum Panacea. quę a Pœtis

tis laudatur ad vulnera sananda, vt est Dictamus Cretensis, vt patet præcipue apud Doctissimum Poetam Ludouicum *Ariostum* in suo Furioso vocato cantu 19. particula 22. dum dicit.

E ricordossi che passando hauea
Veduta un' herba in una piaggia amena
Fosse Dittamo, o fosse Panacea
Che stagna il sangue, e della Piaga rea
Leua ogni spasmo, e periglios a Pena.

PAnax Chironium vero Theophrasti, differt a Chironio Dioscoridis, nam Dioscorides lib. 3. cap 50. dicit emittere folia Amaraci. Theophrastus vero lib. 9. de Hist. plant. cap. 12. dicit folia Lapathi, idest Rumicis. Vnde Cæsalpinus lib 12 de plantis cap. 42. asserit Herbam Doriam esse Panax Chironium Theophrasti. Dicta autem fuit Herba Doria, quia eam attulerit cum classe ex Aphrica Clarissimus in Bello Nauali Dux Andræas Doria Genuensis, tamquam efficacem ad vulnera tum interna, tum externa sanãda.

PAncratium. est Scylla vulgaris Aromatariorum, vt in verbo Scylla.

PAnicum. est Genus Frumenti, quod Elymon, & melinem vocari a Theophrasto dicit Cæsalpinus lib. 4. de plantis cap. 52. vulgoq; vocatur Panico.

PApas Indorum, Papas peruuianum reducitur ad Arachidna Theophrasti a Ioanne Pona in Descriptione montis Baldi fol. 27.

PApauer est planta nota, cuius Capitula in quibus continetur semen, vulgo dicuntur Pappardolo, siue Pappauero, eius vero Lac est Opium a Turcis Offione vocatum.

PApauer erraticum est idem ac Papauer Rhoeas Græcorum siue syluestre Latinorum, vulgoq; Rosolaccio dictum, forsan vt puto corrupto vocabulo Græco Rhoeas; ex cuius floribus iure merito, optimoq; consilio Aromatarij nostri efficiunt Syrupum vocatum di Rosolacci, ad Pleuritidem curandam. vulgo la punta dictã.

PApauer Heracleum putatur a Fabio Columna libro de plantarum Aliquot Historia cap. de Papauere Heracleo esse illa plãta, quæ vulgo Fior Campese dicitur, & est Cyanus in agris sponte nascens, Pisis vulgo Fioraliso di Campi dictus.

PApauer Herculanum. est viscago recentiorum, hoc est illa plãta, cuius Rami visco obducti sunt, adeo vt Muscæ hærentes retineantur. Cæsalpinus lib. 6 de plantis cap. 49. & ego puto esse Muscipulam recentiorum.

PApauer palustre Apulei. Vide in verbo Nymphæa.

PApauer syluestre, est idem ac Rhoeas, siue Papauer erraticum, vulgo Rosolaccio dictum, de quo videas in verbo Papauer erraticum.

PApyrus. est quid Nascens in Ægypto, cibo, idoneum, de quo vide in verbo Mnasium.

PArietaria. Vide in verbo Perdicium.

PAstinaca. quæ ita vertitur à Theodoro Gaza, est Daucum Theophrasti ex Cæsalpino lib 7. de plantis cap. 20. & est Carota vulgaris ex eodem Cęsalpino.

PEctem Veneris Recentiorum. Vide in verbo Scandix.

PEntapetes. ita legit Cæsalpinus lib. 14. de plantis cap. 19. & est idem, ac

PEntaphyllon, hoc est Quinquefolium vulgare.

PEpo. vide in verbo Sicyos.

PEpolina. Vide in verbo Serpillum.

PErdicium, est Parietaria, siue Vetriola vulgaris, vel Helxine Græcorum vt dicit Lobellius lib. stirpium Aduersaria Noua cap. de Helxine. A Ioanne Pona in Descriptione Montis Baldi fol.

fol. 70. putatur esse Chondrylla Pusilla marina Lutea Lobellj, quæ a Dalechampio vocatur Cichorium Bulbosum.

PEriclymenum. Vide in verbo Volucrum.

PErsa Gentilis, & vulgaris. Vide in verbo Helenium.

PErsea, forte erit Anacardus Fructus, siue Anacardium Græcorum Recentiorum ex Cęsalpino lib. 2. de plantis cap. 19, longeq; differt a

PErsica, vulgari Lingua Persico. siue Pesco vocata vt dicit Cæsalpinus lib. 2. de plantis citato cap. 17.

PErsicaria. Vide in verbo Cratæum.

PErsonata. Vide in verbo Lappa.

PEs corui Apulei. Vide in verbo Canaria.

PEs Gallinaceus. ità interpręetatur a Theodoro Gaza, & est Caucalis Recentiorum ex Cæsalpino lib. 7. de plantis cap. 19.

PEtrea. Quia ex Theoph. lib. 9. de Hist. plant. cap. 15. solum ponitur plurimam circa Phsophidem & optimam prouenire, idcirco tanquam ignota relinquitur.

PEuce. est Pinus vulgaris.

PEucedanum. est idem, ac Fœniculum Porcinum Recentiorum.

PEzicæ. sunt vulgares species Fungorum Vescie dictæ. vt in verbo Cranium diximus, & a Fabio Columna in sua Ecfrasi minus Cognitarum, & Rariorum stirpium cap. 161. Lupicrepitus vocantur.

PHacon. est Lens, vulgo Lenticchia dicta. Cæsalpinus lib. 6. de plantis cap. x.

PHaseolus Indicus. Vide in verbo Trionum.

PHellodris, est eadem arbor, ac Suber Plinii, nam eadem dici Plinius lib. 16. cap. 8. de Subere, ac dicat Theophrastus de Phellodri lib 3. de Hist. plant cap 16. vt optime notat Cęsalpinus lib. 2. de plantis cap. 2, in fine hodie vocatur Souero, siue Sughero.

PHilantropos. hoc est Amor Hominis. siue Speronella. Vide in verbo Lappa.

PHilica. forsanq; est eadem cum Phyllirea recentiorum; sed vt testatur Cæsalpiuus lib. 2. de plantis cap. 36. est Linternum aliquorum, siue Ilatrum vulgare. & Bellonius lib. 1. obseruatiouum cap. 42. referente Carolo Clusio lib 1. de Rariorum stirpium per Hispanias obseruatarum cap. 14 putat Philycam Theoph: esse eandem cum Alaterno, de qua Vide in verbo Celastrus.

PHleos, siue Phleum a Lobellio lib. stirpium Aduersaria Noua cap. de Sparganio putatur esse Sparganium Græcorum, quinimo & Butomos eiusdem Theophrasti, & in sequentibus capitibus eiusdem libri ab eodem Lobellio videtur Phleon Theophrasti reduci ad Typhæ speciem est, autem Typha planta palustris. vulgo Mazza Sorda vocata, At Cæsalpiuus noster lib. 13 de plantis cap. 48. putauit Phleum esse idem cum Stoebe, siue Stiba eiusdem Theophrasti, quam Stoebem asserit esse Caccarrepolam vulgo appellatam quasi Cacotribulum, idest infestum Tribulum. Nunc autem temporibus nostris apud Officinas nostros dicitur Cardo Stellario, vt puto quia non solum flos, quinimo planta antequam truncum, siue caulem, siue florem suum producat, ad instarq; Stellæ folia emittat, deinde tota spinosa surgat, cuius maximam copiam habemus non solum in Prato circumuicino ecclesiæ Maiori Pisanæ vulgo dictæ il Duomo di Pisa, sed etiam in Platea, quæ est Ante Ecclesiam Diuæ Catherinæ, vbi manent Reuerendi Fratres Ordinis Sancti Dominici, & postmodum destillatur a Reuerendis Fratribus Iesuatis, vulgo Frati di San Girolamo dictis ibi conuicinis, & talis aqua vt dixi di Cardo Stellario vocata, est hodie admodum in vsu ad refrigerandum hepar.

Sed hic Notandum est, quod hæc omnia diximus de hac Planta pro vt Phleus est in genere Masculino, nam Phleum in genere neutro (vt obseruare potui ab eodem Cæsalpino) est planta in stagnis nascens, de qua alibi se tractasse fatetur, & ego Perquirens Libros

Sex

Sexdecim de plantis, quos composuit; inueni ipsum lib. 4. cap. 68. mentionem facere de Typha palustri, & omnia dicere, quæ de Phleo in genere neutro dicit lib. 13. de plantis cap. 48. Sed tale nomen Phlei in lib 4 citato non refertur, nec reperitur. reliqua autem omnia correspondent.

PHloginon, siue Phlox. vtroq; enim modo vertit Theodorus Gaza, vt notat Cæsalpinus lib. 9. de plantis cap. 40. & est Viola Flammea, siue Flamma Iouis, siue Iacea Recentiorum, & Pisis Suocere, e Nuore vocantur, quia vt puto habeant tres colores.qui simul manere non possint, sicut interdum euenit Mulieribus Socrubus & Nurubus, quæ vulgo dicuntur Suocere e Nuore, inter quas pauca est aliquando sympathia, siue similitudo.

PHonos. est cruor, hoc est sanguinis color, vt in verbo *Atractylis* dicitur.

PHrygium. cum solum a Theoph. lib 6. de Hist. plant: cap. 7. inter plantas Æstiuas connumeretur, vt Lucernula, Iouis flos & similes, de eo nihil adhuc obseruare potuimus.

PHteris. Vide in verbo Pteris.

PHycos est Alga Marina. Cæsalpinus lib 16. de plantis cap. 25. est & alia Phycos a Galeno de simplicium Medicam facult cap. de Psimithio seu de Cerussa inter Metalica connumerata, quæ est Cærussa elaborata ad faciem de albandam, vulgo Biacca, siue Sbiacca dicta, qua vtuntur mulieres, vnde facile est æquiuocare a Phycos Phucos, siue Phucatas Mulieres, hoc est Lisciate, siue imbiaccate, & forsan melius imbiancate, nam Cærussa non solum est alba, sed etiam colorem album producit,

PHycus recensetur a Cæsalpino lib. 16. de plantis cap 24. pro Musco Marino, siue Corallina vulgari, vel Alga crinito folio, vt in verbo *Alga* dictum est.

PHylica. Vide supra in littera Philica. absq; littera. y.

Phyl-

PHyllira, est Tilia *Arbor* in *Alpibus* tantum prouenièns Alno similis, folys in acutum desinentibus, ac iuxta pediculum recuruis, serratisq; , & similiter rugosis, materies eius est alba, aut flauescens, mollis, quam Cerdones expetunt, vt super illam coria in idant, quia minime aciem cultri hebetant. Cæsalpinus lib. 2. de plantis cap. 10.

PHyllira mas ex opinione Cæsalpini lib. 2. de plantis cap. 37. est Tilia, siue Lignum Putridum, vulgoq: Legno Puzzo, & Putine in agro Plumbinensi vocatur.

PHyllyrea Græcorum. est eadem ac *Apharca* Theoph. ex Auth. Hist. plant. lib. 2 cap. 16. vt suo loco dictum est.

PHyllitis. Vide in verbo Scolopendrion.

PHyllum, siue Fœminifica, & Marifica herba est mercurialis herba, vulgo Mercorella dicta, ex Cæsalpino lib. 8. de plantis c. 2. & 30. & *Aloysio Anguillara* parere 14. siue Vltimo cap. de Phyllo siue vltimo.

PIcea. est species Piui, quę Pino Neto, siue Pezzo Italice vocatur.

PIcris. est eadem, ac Amarago. de qua suo loco dictum est. & ab Authore Hist. plant. lib. 5. cap, 14. Hieracium Mattheoli vocatur.

PImpinella. est eadem ac Saluastrella vulgaris. siue Sanguisorba.

PInus. *Adeo* vulgaris est notitiæ vt solum illam nominasse satis esse duxerim. ac idem esse cum Peuce dixerim,

PIper. hodie vulgatissimum est, cum semper in cibarijs vtatur hoc autem non prætetibo Piper rubrum quod in hortis seritur apud nos vulgoq; Pepe matto dicitur, à recentioribus Græcis vocari Capsicum, Latine Piper indicum, Calecuthium, Hispanum quia a talibus regionibus ad nos delatum sit, zingiber caninum Auicennæ ex opinione quorundam, a Dodonæo Capsicum *Actuarii* existi-

existimatur, & Siliquastrum Plinii ex opinione Fuchsii, vt refert Author Hist. plant. lib. 5. cap. 35. apud quem multas species ipsius Capsici inuenire poteris variantes in figura, & in magnitudine vel paruitate.

PIper aquaticum. Vide in verbo Cratæum.

PIperella. Vide in verbo *Serpillum*.

PIraster. est Pyrus syluestris, quæ folia deperdit antequam fructum concoquat; & Achrada Græcæ vocatur à Theoph. vt in verbo *Achrada* dictum est: ex Cæsalpino lib. 3. de plantis cap. 62.

PIræa, vel Smeræa. Vide in verbo infra Spiræa.

PIrus. tanquam arbor nota, eiusq; Fructus Notissimi sed variarum specierum inobseruati a nobis relinquuntur.

PIseolus. Vide in verbo Dolichus. Piseolus syluestris. Vide in verbo Eruilium.

PItys. est Picea, quam Theodorus *Gaza* aliquando Laricem vocat, vt notat Cæsalpinus lib. 3. de plantis cap. 52.

PLacida Quernus, ex Cæsalpino lib. 2. de plantis cap. 2. est prima species Roboris, quæ Hemeris alio nomine vocatur, estq; nostra Quercus tenuiore glande, & folio.

PLantago. est eadem ac Agnoglossum, vel vt alii Legunt Arnoglossum hoc est Lingua *Agni*, vulgo piantaggine, & cinquenerui, vel Centonerbi; quia eius folia habeant inclusos neruulos quinq; principales & magnos, qui postmodum si melius conspiciantur ad numerum centennarium deueniant, & est Stelephoros Theoph. ex Cæsalpino lib. 4. de plantis cap. 58.

PLatanus. Arbor nota, quæ Colitur hodie in Viridario iuxta locum vocatum la Peschiera, iuxta enim aquas vult oriri, sicut testatur Sacra Scriptura. Quasi Platanus exaltata sum iuxta aquas.

Poda-

Podagra Lini. Vide in verbo Cadytas & est Cuscuta vulgaris ex Cęsalpino lib. 8. de plantis cap 41.

Podagraria est Angelica Campestris, vt in Verbo Magidaris dictum est.

Polium. non solum Theophrasti, sed etiam Dioscoridis, & Arabum a Fabio Columna in sua Ecfrasi Minus Cognitarum, & Rariorum stirpium cap. 13. proponitur esse Abrotonum fœmineum vermiculato folio. Polion enim Græcis est idem ac Latinis Canum, & quia tota planta dicti Abrotani est Lanuginosa, & alba, hinc factum est vt Polium a Fabio Columna existimetur.

Polyacantha. ita interpræratur à Cæsalpino lib. 13. de plantis cap. 36, est eadem ac Aculeosa, quę ita vertitur a Theodoro Gaza, & est Carduus syluestris, cuius flos est in vsu ad Coagulandum lac, vnde vulgo Præsuram vocant, siue Presuolam. Licet etiam Pręsuola sit Aparine, siue Speronella vulgaris.

Polypodium. est idem ac Fidicula a Theodoro Gaza interprætata, seu vt ego puto melius Filicula, de qua suo loco, & dicitur Polypodium, quia eius radices habeant similitudinem cum Polypo animali. ex Cæsalpino lib. 16. de plantis cap. 6.

Polytricum, siue Trichomanes. Videtur autem ita dictum quia plures Trichas, nos hodie Tresine dicimus, hoc est Capillos multos gignere faciat.

Populus. si est Populus alba. est eadem, ac Leuce Theophrasti ex Cæsalpino lib. 3. de plantis cap 45.

Populus Libica, siue Lybica Plinii. Vide in verbo Cratægus.

Populus nigra. eadem est ac Ægyron ex Cęsalpino lib. 3, de plantis cap. 45

Porcellia. ita interpræta a Theodoro Gaza. est planta, quæ inter olera connumeratur a Theophrasto lib 7. de Hist. plant. cap. 7. & in cap. 11. eiusdem libri Leuior est intubo, & aspe-

ctu

ctu mitior, & dulcior. putaturq; a Cæsalpino lib. 13. de plantis cap. 2. esse endiuia vulgaris, quæ Græcæ Hypochoeris dicitur.

PORrum. est idem ac *Prassum*, sed notissimum.

PORrum sponte proueniens est *Ampeloprassum*. Vide in verbo Gethyum.

POrtulaca. siue Andrachne, vel Adrachne. est vulgaris Porcellana, siue *Procacchia* dicta.

POrtulaca arbor. putatur esse adem ac *Arbutus* arbor, seu *Albatro* vulgaris ex Aloysio *Anguillara* parere 4. de simplicibus cap. de *Arbuto*.

POthon Cœruleum. a Ioanne *Pona* in Descriptione Montis Baldi fol. 42. ex opinione aliorum putatur esse Nil Serapionis & *Auicennæ* dictum a recentioribus Campana Lazzura, aut Fior di Notte, ab aliis Ligustrum *Columellæ*, & Vaccinium Virgilii Ego autem addo vocari Conuoluulum Cœruleum, & Campanulam *Azzurram*, quæ per noctem manet aperta, per solem, siue diem Clauditur.

POthos. Vide in verbo Desiderium.

PRason, siue Prassum. est idem ac *Porrum* notissimum.

PResuola *Alpinorum*. Vide in verbo Lappa.

PRetuola vulgaris. Vide in verbo Polyacantha.

PRunus albus vulgi. est Acuta spina *Dioscoridis*; siue Oxyacanta eiusdem.

PRunus. est *Arbor* notissima amplectens omnia varia genera fructum, qui vulgo Susine vocantur, & Coccimelea a Gaza interpræatur, vt notat *Auth.* Hist. plant. lib. 2. cap. 34.

PSeudocostus. Vide in verbo Costus.

PSeudolotus Mattheoli est idem ac Diospyron siue Faba Græca vt in verbo Diospyrou.

PSendoMelanthium est Nigella falsa, seu Gith, a quo corrupto Gittone,

PSyllium. Vide in verbo Canaria, & in verbo Cynopa, & Conopa.

PTelea. est Vlmus. vulgo Olmo dicta. Cæsalpinus lib, 2. de plantis cap. 9.

PTeris, siue Ptheris est dicta, quia imitatur Auium Pennas, & est Filix Mascula. ex Cæsalpino lib. 16 de plantis cap. 2. Teliphteris vero est Filix Fœmina vt dicit lib. citato idem Cæsalpinus cap. 3.

PTernix. ex eodem Theoph. lib. 6. de Hist. plant. cap. 4. nil aliud est quam caulis erectus quem producit Cactus Theophrasti de quo in veobo Cattus, siue Carduus Cattus, & sunt Cardones vulgares, quibus vescimur crudis hyeme.

PVgio. est idem ac Gladiolus siue Xiphion, siue Xiphium, sed vide in verbo Ensis Radix, siue Gladiolus & in verbo Xiphion

PVlegium. Vide in verbo Blechon, siue Blechrum. Hoc autem non prętermittam. Pulegium dictum quia Pulices enecet, & Blechon vocari à Græcis, a Balatu, quem excitat in Pecoribus dum ipsum Commederint, & quia Greges balant siue rugitum emittunt, dum ex aliquo loco discedunt, & vt vulgo dicitur Belano, Hinc ortum existimarem illud prouerbium. Piglia il Puleggio, Hoc est discede ab hoc loco, & in alium pergas, sicut faciunt Greges & pręcipue pecora, quando Pulegium degustarunt.

PVlicaria. est Coniza vulgaris, quæ si decoquatur in aqua, & aspergatur per domum pulices enecat; & differt a Pulicaria recentiorum, quæ est Psyllium Græcorum, ex cuius semine fit Mucillago, siue Loch de Psyllio ad tússim sedandam.

Pul-

PVlmonaria Romana. Vide in verbo Cerinthus.

PVnica, est arbor quæ Malum, siue Pomum Granatum fert, vulgo Melagrana, seu Melingrani dicuntur, cuius species *syluestris* est illa quæ profert florem Duplicem Balaustium vocatum.

PYcnitis Apulei, Vide in verbo Lanaria.

PYraster, hoc est Pyrus *syluestris*.

QVadratoria, inter *Arbores* quæ tardissime Germinent connumeratur a Theoph. lib. 3. de Hist. plant. cap. VI.

QVercula minor Latinorum. Vide in verbo Trisago.

QVercus. Arbor nota. vulgo Quercia dicta.

QVercus Marina. a Cæsalpino lib 16. de plantis cap. 34. reducitur ad illam speciem Corallinæ, quę fert ramos ad Latera tendentes, crusta candida, veluti denticulatos, quibus sæpe adhæret *Lapidosa* substantia, ac testacea quædam animalia.

QVinq; folium. est idem ac Pentaphyllon, & est planta nota vulgo Cinque foglio dicta,

RAdicchiella vulgaris ex Cæsalpino libro 15. de plantis cap, 28. ęst Consiligo mattheoli.

RAdix. ita interpretatur Theodorus Gaxa, & Cæsalpinus lib. 8. de plantis cap. 55. vertit Raphanidam. de qua inferius.

RAnæ morsus. Vide in verbo Nymphæa.

RAphanida. ita interprętatur Cæsalpinus lib. 8. de plantis cap. 55. quam Theodorus Gaza Radicem vertit, & est illa planta quæ lingua Latina à *Cæsalpino* Loco citato *Armoracia* vocatur, quam ego puto esse Ramolaccium vulgarem.

REcticortex, siue Salsicortex, est Roboris species, ex eodem Theophrasto lib 3. de Hist. plant. cap. 9.

RHamnus, adeo varia est de eo scribentium tractatio magna obscuritate inuoluta. cum omnis fere author Herbarius suum Rhamnum describat. vt melius fit de hac re videre Authorem Hist. plant. lib. 2. cap. 8. 9 & 10. solum autem dicam in Viridario Pisano duos vel tres Rhamnos reperiri.

RHaphanus, idest Brassica ita videtur interpraetari Caesalpinus lib. 8. de plantis cap, 54.

RHaphanis vero idest radix, seu radicula interpraetatur ab eodem Caesalpino Loco citato cap. 55. & La Radica vulgaris dicitur.

RHaponticum commune, siue Rhaponticum officinarum. Vide in verbo Centaurium. at

RHaponticum verum est species Lapathi, quae hodie oritur in Monte vocato Santo Angelo in Regno Neapolitano.

RHoeas. idest Papauer syluestre, siue erraticum, vulgo Rosolaccio dictum. ex Caesalpino lib. 15 de plantis cap. 10. forsan vt puto ob Colorem Roseum, siue Rubicundum, quem habet eius flos.

RHus Allobrogum. Vide in verbis. Chrysoxillon, & Coccigria.

RHus Dioscoridis est ille frutex qui ab officinis vocatur Sumach siue Sommacco corrupro nomine Arabico, cuius Succus colorem rubicundum ac pulcherrimum producit quo tinguntnr Coria vulgo vocata pelle di Sommacco; & forsan color Russus, siue Rubicundus ortum habuit a vocabulo Rhus sed corrupto.

RHutrum, siue Rithrum est planta Spinosa ab Authore Hist. plant. lib. 14. cap. 27. descripta, quę Spina Peregrina Dodonaei, Echinopus. seu Carduus echinatus Gesneri, & Sphaerocephalus Cordi vocatur.

ROBUR. est Arbor quæ Gallas rotundas profert. Vulgo Rouero dicta.

ROSA. omnibus notissima est planta, & adeo variat species suas vt si vellem illas recensere, nec quidem hic totus Libellus sufficeret; Hoc autem non prætribo in Viridario Pisano adesse Rosam Luteam duarum specierum, simplicem nempe, quę folia odorata profert, & florem Luteum ad odorem cimicum accedentem. Habemus & Duplicem Rosam Luteam quæ ex *Astradamo* Germaniæ delata fuit *Pisis*.

ROSMARINUM. quod vertit Theodorus Gaza, ex Cæsalpino lib. 7. dę plantis cap. 44. est Libanotis, de qua Vide in verbo Libanotis.

ROSULA Cœlestis Latinorum, est Lychnis coronaria, vt in verbo Iouis Flos dictum est.

RUBEA sylueſtris *Amati Lusitani*. Vide in verbo Lappa.

RUBIA. siue Erythrodanum a Theophrasto descriptum, cum habere debeat folia hæderæ, patet non esse idem cum Erythrodano, seu Rubia Dioscoridis, vt optime notat Cæsalpinus lib. 8. de plantis cap 8 & talem adhuc non esse visam asserit idem Cęsalpino loco citato.

RUBILIUM. Vide in verbo Eruilium.

RUBUS. est Morus Bassus officinarum, seu Frutex proferens fructus rubros in principio, & nigros in maturitate, vulgo Le More dictos. ex quibus fit illa compositio apud *Aromatarios* Diamoron vocata, & vtilis ad morbos *Calidos* Gulæ;

RUBUS Caninus, est idem ac Cani Rubus, & est Rosa vulgo Saluatica dicta, vt in verbo Canirubus dicitur. siue Rouo Canino quasi sit Rubus commedendus a Canibus.

RUBUS viticulosus. Vide in verbo *Zarzaparilla*.

Rumex,

RVmex. est idem ac Lapathum, vulgo Romice, siue Rombice.

RVscus. est Bruscus vulgaris. etiam hodie Pungitopo vocatur sicut &

Rvscus syluestris, estq; *Aquifolium*, vulgo *Agrifolio*, & *Pungi* topo. de quo vide copiosius in verbo Aqufolia, & Myrtus syluestris.

RVta. omnibus notissima est. Nos autem habemus in montibus Diui Iuliani supra Balnea Pisana, & in Montibus Ripæ Fractę, nec non Vecchiani & alibi Quandam Rutam foliis erucæ modo insectis, & vocatur Ruta Canina, quæ est Pulcherrima.

SAbina. vulgaris, Vide in verbo Iuniperus, & in verbo Thuia.

SAlix. Arbor nota, vulgoq; Salcio dicta.

SAlix. Amerina. est eadem ac *Agnus Castus*, siue *Agnon* & Vitex, vt in Verbo *Agnon* abunde diximus.

SAlsaparilla Italica, Vide in verbo Hedera cilicia, & in verbo Zarzaparilla.

SAlsicortex est species Roboris eadem ac Recticortex ex eodem Theophrasto lib. 3 de Hist plant. cap. 9.

SAluastrella vulgaris est eadem ac Pimpinella, siue Sanguisorba.

SAluia romana. Vide in verbo Costus.

SAluia. si est Domestica ex Cæsalpino lib. 11. de plantis cap. 15. est Elelisphacon Theoph. vt in verbo Elelisphacon dictum est.

SAluia syluestris, vel minor, vel agrestis. Vide in verbo Sphacelus.

SAmbucus. siue Actes. frutex notissimus Sambuco dictus,

Sam-

SAmpsucum. si est idem cum Sampsuco Dioscoridis. Dubio procul est Amaracus vulgatior, siue Maiorana vulgaris Pisis Persa vocata, vt in verbo Helenium diximus.

SAnamunda. vide in verbo Cneorus. vbi pulcherrima videbis.

SAnguinella. Vide in verbo Canaria.

SAnguisorba. est eadem ac Pimpinella, siue Saluastrella vulgaris.

SAponaria vulgi. Vide in verbo Struthium, & in verbo Lanaria.

SAri. est quid nascens in Ægypto cibo idoneum, de quo in verbo Mnasium.

SAssefrica vulgaris. vide in verbo Tragopogon.

SAtanea. est Mespili species grandiore fructu. ex Cæsalpino lib. 3. de plantis cap. 15.

SAtanica. est Cæpæ species minima, sed larga, & dulcis teste Theophrasto lib. 7. de Hist. plant. cap. 4.

SAtureia vera est Thymbra Montis Sancti Iuliani supra Balnea Pisana oriens.

SAxifragia, planta varia de qua aliqua dicam in Libello supra Dioscoridem, quem in lucem exire conabor.

SCamonia. est planta quæ Scamonium profert, hoc est succum siue Lac eiusdem plantæ, quod si præparetur hoc est concoquatur cum Malo Cotoneo vt hodie nostri Aromatarij faciunt Diagridium vocatur Præparatur etiam hodie alio modo inuento ab Illustrissimo D. Comite de varuich. qui postmodum talem modum communicauit & pro secreto dedit Excellentissimo D. Marco Cornacchino, vt testatur idem Cornacchinius in suo Libello vocato Methodus in Puluerem cap. 1. vt apud eum videri potest: An vero talis modus

Pre-

Preparandi Scammoneam sit melior nostro Antiquo, meliori Iudicio Excellentissimorum virorum meam opinionem subiicio. Hoc scio quod si recipit Præparationem a Sulphure, & Sulphur tanquam Metallicum non est expers venenositatis, quomodo poterit venenum cum veneno præparari, quin potius venenositas non augeatur vtrorumq; medicamentorum venenositatem habentium, quis enim nobis pro re tuta, & certa asserere potest, Malignitatem Scamonii, & Sulphuris in tali præparatione esse ablatam.

SCandix. Dubitatiue proponitur a Lobellio, an sit Pecten veneris Recentiorum, & Plinii, vt dicit ipse Lobellius Libro Stirpium Aduersaria Noua cap. de veneris Pectine, sed assertiue dicitur a Cæsalpino lib 7. de plantis cap. 24 esse Acicula vulgaris, siue Acucula, & est eadem cum Pectine veneris, habet enim talis planta post florem multa Rostra ad instar Pectinis, & sunt acuta ad instar Acus, vnde forsan nomen Aciculæ, vel Acuculæ sortita fuit.

SChinos, siue Eschinos idest Iuncus.

SChinos Aromaticos. idest Iuncus odoratus, siue squinanthium Officinarum, & Squinanti vulgarium; vt in verbo Iuncus odoratus.

SCirpus Tragi. vide in verbo Canaria.

SCissima. est Arbor, quæ fere æquiparatur Abieti. vt testatur idem Theophrastus lib. 3. de Hist. plant. cap. 10. & a Cæsalpino lib. 2. de plantis cap. 3. dicitur esse Fagus. vulgo Faggio vocatus.

SColopendria. apud Dioscoridem. est Asplenon Græcorum, Asplenium Latinorum, Cetrach Arabum, & officinarum siue Herba Dorata Recentiorum. At apud Theophrastum.

SColopendrion est idem ac Lingua Ceruina a Theodoro Gaza interpretata, Phyllitis Græcorum, & Scolopendria vulgarium ita vocata ob vermiculorum figuram, qui a tergo foliorum sunt. ex Cæsalpino lib. 16 de plantis cap. 7.

SCoparia, est eadem ac Erica.

SCorodon, hoc eſt Allium. vulgoq; Aglio dictum.

SCorodopraſum. Licet a Theophraſto non deſcribatur, tamen quia eſt planta notiſſima, quæ habet folium Porri, & caput Allij. vulgo Agliporro dicitur, idcirco eam hic nominare volui.

SCorpius. ex Cæſalpino lib. 3. de plantis cap 37. eſt idem, ac ille frutex, qui a Theodoro Gaza Nepa iterpretatur, & a Cæſalpino loco citato appellatur vulgo Spina Chriſti.

SCotano. Vide in verbo Coccigria.

SCylla. Licet ſit notiſſima, tamen non eſt illa, quæ hodie apud Aromatarios noſtros pro tali circumfertur, & accipitur Sed ne videar eparadoxum vobis nunc afferre. ne miremini me id dicere, ac ne putetis me abſq; vlla ratione id proferre, nam ſi Scylla debet habere folium Aloes, vt teſtatur Dioſcorides lib. 3. cap. 22. vbi agit de Aloe, cum dicat Aloem habere folium ſcyllæ ergo dicere debemus ſcyllam habere folium Aloes, at Scylla vulgaris Aromatariorum habet folium Lilij albi non Aloes, ergo ipſa non eſt vera Scylla, ſed bene eſt verum Pancratium à Dioſcoride deſcriptum in libro 2. cap. 168 Sed de hac re fuſius agere conabimur in Libello, quem alias ſuo loco commodiori in Lucem edere decreuimus ſupra Dioſcoridem, ſi Deo fauente hunc placere videbimus. Talis autem Scylla vera hodie reperitur in viridario inibi delata ex Locis marittimis Corſicæ a Præceptore meo Amantiſſimo Reuerendo Fratre Franciſco Malocchio Florentino minorita.

SCythica Radix. eſt Glycyriza, ſiue Dulcis Radix, vulgo corrupte liquiritia ex Cæſalpino lib. 6. de plantis cap 41. Hodie vocatur Piſis Legno dolce.

SEcurina. eſt Hedyſarum Dioſcoridis, ſiue Securidaca recentiorum ex Cæſalpino lib. ſexto de plantis cab. 30.

SEdanum. Vide in verbo Selinon; Et ego ſoleo dicere vocari Sedani hoc eſt Senida, ſi imponatur verbum da inter Syllabam S, & Ni. eſt autem Sedanum de genere Apii paluſtris, cuius (Sect. Foueum, quo fit iter ad Balnea Piſana, & ad Fontem vocatam (Caldaccoli) maxima reperitur copia. Temporibus noſtris circ

Triginta annos iam elapsos per Mangonizzationem seu Culturam Holitorum accipiebantur plantæ *Apij* Palaustris, & per artem fiebant Domesticæ, & Satiuæ, sicut faciunt etiam hodie, & in Cibariis expetuntur; Sed ego cauerem a nimio vsu ipsorum, replent enim caput, & inter plantas difficilis *Coctionis*, ac venenatas, possunt reponi.

SEdum. est idem ac *Aizoon* Græcorum, & Semperuiuum Latinorum.

SElago. Si est eadem cum Selagine Monspelliensium, vtiq; est Cistus Humilis Secundus Clusii, seu Erica Chrysanthemis minima Lobellii lib. obseruationum cap. de cisto humili secundo Clusii

SElinon est idem, ac Apium Domesticum, vulgo Petroselinum siue prezzemolo vocatum. ex Cæsalpino liq. 7. de plantis cap. 37. & quoniam duplex describitur Selinum à Theophrasto. vnum folio spisso crispo, & denso, & est vulgare Petroselinum, aliud rariori, Latioriq; folio Cauleq; maiori, & est Petroselinum Macedonicum. A tali nomine Selinon, puto ego esse corruptum illud nomen vulgatissimum Sedano vocatum, nam etiam tale Sedanum Connumeratur a Recentioribus Herbarijs inter *Apiorum* genera, & quia facultatem habet calidam, & excitandi venerem, idcirco puto esse nomen Latinum transmutatum quasi dicat Da leni seu seni da vt calorem & venerem habeant.

SEmperuiuum, est idem ac Sedum, siue *Aizoon*, vulgo *Sopra-uiuolo*; & a me talis planta ad similatur illi virtuti quæ integritas nominatur, de qua soleo hæc duo Carmina ita enunciare.

Fulmina non mœruit, non æstumaut frigus *Aizon*,
sic sibi tuta satis nil timet integritas.

SEnecio. est idem ac Erygeron Dioscoridis, & Italice Spellicciosa siue Cardoncello vocatur, & Herba Carderina, quia Cardueles Auiculæ eam delectentur commedere, vt nos docet Cæsalpinus lib. 13. de plantis cap. 51.

SErpentaria Vide in verbo Dracunculus, & in verbo Erestedanum.

Ser-

SErpillum. vulgo Sermollino dictum, & quando Theophrastus lib. 6. de Hist. plant. cap. 7. dicit quod etiam Serpilli Syluestre genus est, quod defertur ex montibus &c. Cæsalpinus lib 11. de plantis cap. 55. illam plantam Pepolinam vulgo vocatam, & ab aliis Piperellam dictam, & Hodie Pisis Pepolino, esse tale Serpillum Syluestre asserit.

SErtula Campana. est Melilotus Syriaca odora, siue MeliLotus & Corona Regia Lobelli lib. obseruationum cap de MeliLoto

SEsamum. ex Cordo Herbario. est Chamæline Myagrum; siue Erysimum Lobellii libro stirpium Aduersaria Noua capite de Camæline Myagro. ex Cæsalpino vero lib. 9. de plantis cap. 33. est illud semen, quod ex Alexandria defertur Simile Semini Lini, & Giuggiolena in officinis appellatur. ex qua Aromatarii nostri efficiunt cum Melle placentas, & varias formas. quas Cubatas vocant de Mense Decembris in Festiuitatibus Sanctissimæ Natiuitatis Domini Nostri Iesu Christi.

SEtania, siue Satania. est Mespili species grandiore fructu Cæsalpinus lib 3. de plantis cap. 15.

SIcya, est Cucumis, vulgo Cocomero, Sicyos est Pepo. vulgo Melloni, siue Poponi ex Cæsalpino lib. 5. de plantis cap. 5.

SIcyos syluestris, est Cucumis syluestris, siue Cucumer Asininus cuius succus est elaterium. Cæsalpinus lib. 5. de plantis cap. 6.

SIda. est Althæa Palustris cytini flore, Aristolochiæ vtriculis, ex Lobellio libro stirpium Aduersaria Noua cap. de Althæa Palustri. Cuius oritur maxima quantitas in Palludibus. Lacu vocato, stagno, proximis e directo Nemoribus vocatis di Santo Guido qua per Foueum fit iter Liburnum, versus illam partem, vbi sunt multi Pontes Lignei.

SIlago. ita vertitur a Theodoro Gaza, & Cæsalpinus lib 8. de plantis cap. 19. videtur eam reducere ad Coronopum Recentiorum vulgo Herba Stella vocatum, & Astrion a nonnullis dictum, hoc est Stella. De qua habemus illud vulgatissimum Prouerbium

La Infalata non è bella, fe non hà l'Herba Stella.

SIlene. ab Vliffe Aldroando putatur effe planta Theophrafti, & eft Mufcipula, fiue Vifcaria, vel Lychnis fyluestris Clufii altera flore mufcofo, ex Lobellio lib. Stirpium Aduerfaria Noua cap. de Mufcipula.

SIler montanum. Vide in verbo Ligufticum.

SIligo. fi eft eadem cum Siligine Plinii reducitur a Cæfalpino lib. 4. de plantis cap. 42. ad Tritici, fiue frumenti genus quoddã Candidiffimum quod in Spica fine Ariftis gignitur, & apud Aretinos Galbigiam vocant Incolæ.

SIliqua Ceronia ex Cæfalpino lib. 3 de plantis cap. 27. eft ille fructus qui vulgo Caruba vocatur.

SIliqua Ficus A Egyptia vocata. eft Caffia Fiftula, fiue Caffia in Canna vulgo dicta, ex Cęfalpino lib. 3. de plantis cap. 28 licet dicat quod videatur Theophraftus hanc intellexiffe.

SIliqua. a Theodoro Gaza interpraetata, eft Pifeolus, vulgo Pefo, fiue Pifello vocatus, & a Cæfalpino lib. 6 de plantis cap. 3. Dolichus interpraetatur.

SIliqua fyluestris. eft Arbor Iudæ, & Cercis Theophrafti.

SIliquaftrum Plinii. Vide in verbo Piper.

SIlybon, Silybum funt idem ac Acanus Theophrafti. fiue Carduus Lacteus, vel Lac Diuæ Mariæ, vt dictum eft in verbo Acanus.

SInapis. planta notiffima vulgo Senapa dicta, cuius Semen Puluerizzatum eft in vfu ad condiendum, fiue melius dicam ad Aromatizzandam illam Compofitionem ex vino Mufto cocto factam. Lingua etrufca Moftardam dictam.

SIfymbrium eft vel Mentha agreftis, fiue Balfamita, & Menta crefpa Italorum, vel eft Menta aquatica rubro folio, & flore

nigræ

nigrę Menthæ, siue Balsamine officinarum, ex Lobellio lib. stirpium Aduersaria Noua cap. de Sisymbria Mentha. Cæsalpinus lib. 11. de plantis cap. vltimo circa finem concludit idem esse Silymbriũ terrestre apud Dioscoridem & Theophrastum, & Significare nostram mentam aquaticam, quæ Cultura odoratior redditur non solum se ipsa, sed & Menta Domestica.

SIsyrinchium. est species Hyacinthi, quæ vocatur Hyacinthus Poeticus Hispanicus Gemino Gladioli reticulato Bulbo, a Lobellio lib. stirpium Aduersaria Noua cap. de Sisyrinchio & Fabius Columna in sua ecfrasi minus cognitarum, & Rariorum stirpium cap. 152. pulcherrime ipsum non solum describit, sed etiam depingit. Ioannes vero Pona in sua Descriptione Montis Baldi fol. 12. dicit esse idem cum Bulbo edule Lacunæ, aut Bulbo sylueſtrĩ Fuchsii, aut Ornithogalo Luteo Lobellii, dubitaq; an sit Bulbus vomitorius Antiquorum.

SMeræa. Vide infra Spiræa.

SMilax. est vox æquiuoca ad plures plantas, nam vel est.

SMilax Arbor, hoc est Taxus, a qua Toxica venena denominata sunt, quia inter Arbores Taxus sit omnium Pernicosissima, & deterrima; vulgoq; Taſſo, siue Naſſo vocatur. est &

SMilax Aspera. hoc est Hedera Spinosa, cuius obseruationem scitu dignam proposuimus in verbo Hedera Cilicia. ita a Theodoro Gaza interprætata. est & etiam.

SMilax Læuis, quæ est conuoluulus Recentiorum, & vulgi il Vilucchio.

SOlanum. siue solatrum. Vide in verbo Stychnon.

SOlaris herba. a Theodoro Gaza interprætata est Heliotropium Maius, vulgo verrucaria vocatum ex Cæsalpino lib. 11. de plantis cap. 11 dictum autem est ni fallor Heliotropium quia flos eius solem sequatur, & circum agat. Verrucaria vero quia verrucas hoc est vulgares porro in cute humana nascẽtes deleat & absũmat eius

suc-

ſuccus. illius maxima copia oritur in Agris Piſanis *Arenoſis*, & præcipue in meis Agris ſitis in Communi Sancti Michaelis vbi manent admodum Reuerendi Canonici Regulares vulgo vocati li Scalſi.

SOlatrum. Vide in verbo *Stychnon*.

SOldanella. eſt Braſſica marina; cuius ſuccus Hydropicis aquoſis confert.

SOnchus, eſt illa ſpecies Cicerbitæ vulgaris, quæ ſpinoſa, ſeu aſpera eſt, nam Theophraſtus lib. 6. de Hiſt. plant. cap. 4 illā Spinoſam vocat. & ab *Authore* Hiſt. plant. lib. 5. cap. 14. *Andryala* Theophraſti vocatur, vt in verbo *Andryala* dictum eſt.

SOrbus. tanquam arbor notiſſima, a qua oriuntur illi fructus hodie vocati *Sorbe*, Longa obſeruatione non obſeruatur, ſed ſolum hoc non eſt indignum *Animaduerſione*, nempe ante cibum ſi ſummantur aluum adſtringere, poſt cibum vero corpus mouere, ſiue ſoluere, ſicut facit Miua cotoneorum.

SOrbus Torminalis. ex Cæſalpiuo lib. 3. de plantis cap. 64. videtur eſſe Cratægus Theophraſti, vt in verbo Cratægus.

SPartapediglia. Vide in verbo Zarzaparilla.

SPeronella. Vide in verbo Lappa.

SPhacelus. vt refert Matthias de Lobel. lib. ſtirpium Aduerſaria Noua cap. de Scordio, ex opinione Dodonæi, eſt Scordium alterum Plinii, ſiue Saluia agreſtis, vel Saluia Boſci, vel Scorodiana Cordi, ex opinione vero Guillandini eſt *Stachys* Lychnitis, vel Stachys ſpuria Flandrorum vt dicit Lobellius libro citato cap. de Stachy. Vel forſan & Melius eſt *Saluia* minor Lobellij, vt ipſe dicit libro citato cap. de *Sphacelo*, ſic enim putauit ante Lobellium Cæſalpinus lib 11. de plantis cap. 15. quem poſtmodum ſequutus eſt *Author* Hiſt. plant. lib 8. capite ſecundo.

SPhemdamnon eſt idem. ac *Acer*, de quo ſupra in verbo *Acer*, ſic exiſtimauit Cæſalpinus lib. 2. de plantis cap. 12.

Sphæ-

SPhærocephalus Cordi. Vide in verbo Rhutrum,

SPina candida, forsan est eadem, cum Spina alba Recentiorum, siue cum Acantha Leuce Dioscoridis, & Cæsalpinus lib. 13 de plantis cap. 49 reduxit ipsam ad speciem alteram Cacatrepolæ vulgaris, quæ florem Luteum profert, & folia Latiora ac Candidiora Succo Lacteo prædita, nam prima, de qua abunde diximus in verbo Phleon, siue Phleos, & in verbo Stoebe, florem subrubentem producit.

SPina Ceanothos, siue Ceanoton. ex Lobellio libro obseruationum cap. de Astone Italica Anguillaræ est eadem Astone Italica, vel forsan Carduncellus Montis Lupi.

SPina Christi, Vide in verbo Nepa, & in verbo Scorpius.

SPina Dispas, forte fortuna est eadem ac Dipsacus Græcorum siue Labrum Veneris Recentiorum, quæ in concauitatibus foliorũ semper aquam continet, & Pisis Cardi da Scardazzare vocantur, quia eius capita adeo sunt Spinosa, vt possint euellere floccos in Lana, & Nota quod talia capita quando iam incipiunt arescere intus continent & habent vermem paruulum qui si ad summum quinq; vel sex exhibeantur in cibo vel in potu arefacti, & propinentur Puerulis qui Laborent illo vulgari morbo vocato Mitrito, vtiq; a tali Morbo sæuissimo liberantur, si ad plus quinq; vel sex vices adhibeantur. Non autem id esse fabulosum existimetis, nam experto credatis Roberto. Cæsalpinus libro 13 de plantis aap. 27. voluit talem Spinam Dipsas vocatam esse Arboris genus, quod in Mari Rubro reperiatur. vnde Spinam Dipsadem idest sitientem interpretatur. Aduertendum etiam ob id vocari Labrum veneris, quia sicuti in Labro hoc est vulgo il Catino continetur aqua vt plurimum, ita etiam in concauitatibus foliorum Dipsaci. siue Spinæ Dipsas semper reperitur aqua etiam in diebus Canicularibus.

SPina Ægyptia, est idem ac Acacia Dioscoridis, siue Acantha eiusdem Theophrasti, sic enim vertit Theodorus Gaza, sed Aduertendum quod differt Acantha & Acanthos siue Acanthus, vt diximus in verbo Acantha, & Acanthus.

SPina Hirci. Vide Hirci Spina.

SPina Ixia, siue Spina ixna. ex Cæsalpino lib 13. de plantis cap. 34. inter genera Carui Satiui connumeratur, & est eadem, ac Carduus Pinea a Theodoro Gaza interpræt ata.

SPina Peregrina Dodonæi. Vide in verbo Rhutrum.

SPina Regia a quibusdam putatur esse Leucacantha quorundam ex Auth. Hist. plant. lib 14. cap. 10. & est illa species Carduus Lactei foliis angustifoliis oriens passim Locis syluestribus extra Pisas & præcipue sopra l'Argine d'Arno, & del Serchio.

SPina Sancti Francisci, est Eryngium Montanum oriens in Monte della Vernia dicto ex Cæsalpino lib 13. de plantis cap. 28.

SPina simpliciter dicta. est eadem ac Acacia, siue Spina Ægyptia, de qua supra dictum est.

SPiræa, siue Piræa, vel Smeræa. ex Dalechampio referente Authore Hist. plant. lib. 2. cap 46. est idem ac Viburnus, siue Lantana vulgaris, quæ ex Cęsalpino lib. 2 de plantis cap 42. est Fluida Mascula eiusdem Theophrasti, vt in verbo Fluida dictum est

SQuinanti Squinanthum. est idem ac Iuncus odoratus ex Auth. Hist. plant. lib. 18. cap. 124.

STaphylinus. Licet a Theophrasto non describatur, tamen quia est planta notissima, quæ Pisis Pastricciano dicitur cum Cæsalpino lib. 7. de plantis cap. 21. intactam illam relinquere nolui, hodie talibus Pastriccianis vtimur in cibis diebus quadragesimalibus, in insalatucijs, & multis aliis modis paratis atq; coctis.

STelephoros, idest Plantago, sic interpretatur Cæsalpinus lib. 4. de plantis cap 58.

STelephurum a Theodoro Gaza interprætatur Plantago teste Cęsalpino lib. 8. de plantis cap. 16.

STelis. ex Theoph. lib. 2. de causis plantarum est Viscum in Abie & Pino nascens vt in verbo Viscum diximus.

Stiba

STiba. Vide in verbo Stoeba.

STirax, cum a Theophrasto lib. 9. de Hist. plant. cap. 7. ponatur solum inter odorata, quibus ad vnguenta vtuntur, facile dicere possumus ipsum intelligere Storacem in Lachryma; seu vt nostri Aromatarii asserunt Storacem Calamitam, nec non etiam Storacem Liquidam. Sed tamen aduertendum est quod in Viridario Pisano adest Arbor Storacis, quæ ex Agro Romano Prope Tigolim (vbi oritur copiosa) delata fuit Pisis ab Excellentissimo Viro Ioseph Casa Bona ex Flandria oriundo, & Primo Custode Pisani Viridarii, quo loci etiam adhuc virescit; Reperitur etiam alia Storacis Arbor hodie in Viridario dell'Arzinale vocato, vna cum Sycomoro, & Palma ingenti, quæ superat in Altitudine Moenia ipsa Pisana.

STоeba, siue Stoebe, & Stiba, est eadem ac Phleum apud Cæsalpinum lib. 13. de plantis cap. 48 & est Caccatreppola vulgo vocata, quasi Cacotribulus, idest infestus Tribulus, & hodie Cardo Stellario vocatur, de quo videas Rogo in verbo Phleum, nam ibi aliqua Pulcherrima ni fallor dixi, sic in verbo Spina Candida.

STruthos Theophrasti, vt optime notat Cæsalpinus lib. 6. de plantis cap. 48 Longe differt a Struthio, nam

STruthium inter flores coronarios recenset, & Acanacea, de Struthio autem inquit, quod splendorem Linteis tribuit, folium Papaueris Herculani fert; Sed vtcumq; sit forsan Struthos est Saponaria vulgi, & Struthium est Cyanus, qui vulgo Fioralisus in Etruria vocatur, sic videtur sentire Cæsalpinus lib. 13. de plantis cap. 52.

STychnon est Solanum, siue Solatrum, & est nomen genericum ad omnes species Solani Cæsalpinus lib 5. de plantis cap 15. & est idem ac Trichnos.

SVber. Arbor notissima, vulgo Souero, siue Sughero dicta, & est idem ac Phellodris ex Cæsalpino lib. 2. de plantis cap. 2, vt verbo Phellodris diximus.

SVmach. nomen Arabicum est, a Græcis Rhus Dioscoridis vocatum, de quo Vide in verbo Rhus Dioscoridis, vbi pulchra diximus,

SYcamines. est Morus, vulgo Gelso Moro dicta, sic videtur asserere Cæsalpinus lib. 3. de plantis cap. 3.

SYcen, quam vocat Theophrastus. simpliciter Ficum intelligit, vt notat Cæsalpinus lib. 3. de plantis capite primo.

SYcomorus, Ficus Ægyptia, Morus Ægyptia sunt vnum & idē ex Auth. Hist plant. lib. 3. cap. 19. & Italice Sicomoro, siue Fico d'Egitto dicitur.

SYringa. Vide in verbo Ostria, siue Ostrys.

TAbaccum. Vide in verbo Tornabona.

TAraxacum. est Dens Leonis. vulgo Pisciall'etto, de quo Vide in verbo Aphaca genus olerum.

TAsso Barbasso. Vide in verbo Lanaria.

TAxus. est idem, ac Milos eiusdem Theophrasti, de qua in verbo Milos, vel Smilax arbor dictum est, vulgoq; Tasso, siue Nasso dicitur. a taliq; Arbore, Toxica, quæ sunt Venena Perniciosissima, originem habent.

TElipbteris. est Filix fœmina. teste Cæsalpino lib. 16. de plantis cap. 3.

TErebinthus Frutex vulgo Terebinto dictus, qui licet ex Theophrasto recenseatur inter frutices perpetuo virentes, tamen in Viridario Pisano quot annis folia et decidunt, & forte Theophrastus ex relatione aliorum locutus est, vel forsan in suis regionibus folia non debebat ammittere per hyemem, sicut Pisis facit, vel vt meam proferam sententiam pro defensione Theophrasti, dicam ipsum Theophrastum per Terebinthum Semperuirentem intelligere Lentiscum Latinorum, siue Schinos, vel Schistos Græcorum, & vul-

vulgo Pisis il Sondro, nam vt in meis Lectionibus de Gummium atq; resinarum Historia probaui. Lentiscus est secunda species Terebinthi, cui Lentisco nunquam folia decidunt, & iure merito Terebinthus angustifolia Semperuirens vocari potest.

TErebinthus indica ita ab Aloysio Anguillara interpretata Parere 4. cap. de Pistaceis, putatur esse Arbor Pistaciorum, vulgo Pistacchi dicti.

TErracrepulus. Vide in verbo Crepis.

TEsticulus; est illa planta quę radices aliquando duobus testiculis aliquando tribus ornatas producit & Satirones vulgo vocantur, fitq; ex his illud electuarium Diasatyrium vocatum ad venerem excitandam optimum.

TEtragronia Theophrasti ex opinione aliquor, referente Ioanne Pona in Descriptione Montis Baldi fol. 139 & 140. putatur esse eadem ac Euonymus, de qua suo loco dictum est.

TEtralis, siue Tetralix, ab Auth. Hist plant. lib. 14. cap. 28. inter plantas Spinosas Describitur, & quidam putant esse eam plantam quam Tragus Author Herbarius Insignis pro vero Chamæ Leonte nigro pictam ostendit.

THapsia. est planta Ferulacea, siue Foeniculacea, adeo venenata, vt dum colligitur. Humeros contra ventum vertere oporteat, & est nota apud omnes Herbarios.

THapsus Barbatus. Vide in verbo Lanaria.

THeda. est Pini interitus. quando enim Pinus ob nimiam crassitiem, vel nutritionem; & pabulum excedentem, arescit, in Tœdam vertitur, sic possumus elicere a Theophrasto in libro sexto de causis plantarum cap. 15.

THeligonum. est Mercurialis herbæ species, quæ ad procreandas fœminas faciat, ex Cæsalpino lib. 8. de plantis cap. 2. & 30. & Aloysio Anguillara parere 14. cap. vltimo siue de Phyllo

THeliphonum est Aconiti species, quæ enecat fœminini sexus animalia tactis genitalibus, quæ alio nomine Doronicum vocatur, ex Cæsalpino lib. 12. de plantis cap. 33.

THesei radix, quæ nam sit difficile est asserere, cum ipse Theophrastus lib. 7 de Hist. plant. cap XI. solum dicat esse Radicem amaram, & tutam aluum purgare, multæ enim radices hodie tales conditiones habent.

THia est eadem cum Thuia.

THimælæa est idem ac Mezereon Arabum, & vocatur Thymelæa vel quia sit nomen compositum ex Tithymalo, & Olea, quasi sit Tithymelæa, hoc est similis sit cum Tithymalo, & Olea sic refert *Auth.* Hist plant. lib 16 cap: 15. Ego soleo dicere quod sit similis cum Thymo, & ob id Thymelæa vocetur, Vocatur etiam *Apolinum* ex Diosc. lib 4 cap. 167 quia Thymelęa habeat similitudinem cum Lino Satiuo in folijs. Italice vocatur *Pepe* Montano ex *Amato* Lusitano lib. 4. supra Dioscoridem enarratione 173. *Sed* tale nomē intelligitur de eius Semine, quod vocatur a Dioscoride loco citato Coccum Gnidium, siue Granum Gnidium: sic refert etiam *Plinius* lib. 13. cap 21 tale enim semen nigrescit & adurit Linguā adinstar Piperis. Talis Thymelæa copiose oritur circa omnia marittima Pisana, & pręcipue post Ecclesiam Diui Petri ad Gradum, vulgo la Chiesa di San Piero a Grado, versus viam qua fit iter Liburnum. Oritur etiam versus marittima extra Portam Nouam Loco dicto vulgo alle Calcine.

THryallis. ex opinione aliquorum est secunda species Herbæ *Paralysis* recentiorum., vt dicit Cæsalpinus lib 6 de plantis cap 57. at ex propria opinione idem Cæsalpinus lib. 8 de plantis cap. 18. dicit Thryallim esse *Bibinellam* herbulam ex Sicilia habitam, minorem Lanceola, ac viridiorem, folium medium quodammodo se habet inter Lanceolam, & plantaginem.

THrydacine est Lactuca syluestris, ex Cæsalpino lib 13. de plantis cap. 22.

THuia, forsan est eadem cum Tuya, de qua infra in fine Litteræ T. Aloysius Anguillara Parere 2. cap de Sabina multis rationibus, illisq; validissimis meo iudicio probat Sabinam nostrã vulgarem esse Tuiam, seu Thuiam quas rationes non enarro, ne videar velle libros alienos ad verbum transcribere, sat sit talem opinionem Summopere a me probari. ex Lobellio vero libro obsertionum cap. de Cedro Lycia putatur esse Cedrus Lycia, siue Arbor vitæ, & Cæsalpinus lib. 3. de plantis cap. 56. videtur ipsam reducere ad Cupressum, siue Melius dicam ad Cupressi speciem ylueſtrẽ, opinionem Lobellij habuit Carolus Clusius lib. 1 de Rariorum stirpium per Hispanias obseruatarum cap. 26.

THus vulgo L'incenso dicitur, aliisq; nominibus Græcis uocatur Libanos, Libanotos, & Dendrolibanon, apud Arabes Olibanum, & talibus nominibus dotatum fuit, quia vel in Lybia, vel supra monte Libani Oriatur. Thus vero a paratu Thio, quod est sacrificio, vnde Thyasia sacrificium significat, & Deniq; Incenso ab incendendo, eo qui flagret, & ardeat.

THymum. hodie planta nota, sed aduerte quod intelligo creticum ab Auth. Hist. plant. lib. 8. cap. x. descriptum, & delineatum.

TIgnamica quę sit, & cur ita vocetur; quæso videas in verbo Aurelia.

TIlia. a Cæsalpino lib. 2. de plantis cap 10. putatur esse eadem ac Phyllira.

TIpha. est species Arundinis aquaticæ, vulgo Sordoni, siue Mazza Sorda dicta, quam Schianzam vulgo vocari dicit in Etruria Cæsalpinus lib. 4 de plantis cap. 68 & Latine ab ipso vocatur vlua. de qua Virgilius libro Secundo Æneidorum, sic ait Limosoq; Lacu per noctem obscurus in vlua, Delitui &c. & alibi libro sexto eorundem. Informi Limo, glaucaq; exponit in Vlua. De qua etiam illud vulgatum Carmen. Alga venit Pelago, sed nascitur Vlua Palude.

Tiphium

TIphium. vt refert Author Hist. plant. lib. 9. cap. 36. ex opinione aliquorum est Farfara, seu Farfarella vulgaris, quæ Græce Bechion hoc est latine Tussilago vocatur, quia cõferat ad Tussim Sedandam. vnde Pillulæ Bichicchiæ sunt illæ quę valent ad Tussim auferendam.

TIthymalus. Vide in verbo. Lactariarum Plura genera.

TOrnabona. ita dicta quia opera Illustrissimi ac Reuerendissimi Nicolai Tornaboni Antistitis Florentini, tunc temporis apud Regem Galliæ Legati transmissa est, vnde nomen Herbæ Tornabonæ diuulgatum est in totam Hetruriam. Sed cum ex India occidentali delata sit nomine Indico Tabacci. postmodum semper Tabacco vocatur. Cæsalpinus lib. 8 de plantis cap. 43 A recentioribus herbariis aliis nominibus quoq; vocatur, nam vt testatur Rembertus Dodonæus lib 4 de Deleteriis, ac Perniciosis herbis cap. 22. Hyoscyamus Peruuianus, Herba Sacra, Herba Sancta, & Nicotiana, & tandem ab aliquibus Herba Santa Croce.

TRagacantha, est eadem, ac illa Hirci Spina a Theodoro Gaza interprætata. vt dicit Cæsalpinus lib. 8. de plantis cap 7. & est Frutex, seu planta, a qua oritur Gummi vocatum, vulgo Draganti.

TRagopogon, est idem ac Hirci Barbula, siue vulgaris Sassefrica ex Cæsalpino lib. 13. de plantis cap. 23. ad

TRagopogon etiam reducitur Scorsonera recentiorum, vt dicit idem Cæsalpinus libro citato cap 24. & Fabius Columna in sua ecfrasi minus cognitarum, & rariorum stirpium cap. 84. putat se verum Tragopogon cognouisse, vt apud eum videri potest. Sed meo iudicio & ipse speciem sassefricæ proponit.

TRasi. sunt vulgo li Dolciulini. vt in verbo Malinathalla.

TRaupalus. videtur esse arbor inter syluestres multis radicibus constans, vt dicit Theophrastus lib. 3. de Hist. plant. cap. 7. quæ vmbrosis locis gaudet veluti Taxus vt testatur idem Theoph. lib. 4 de Hist. plant. cap. 1.

Tri-

TRibulus primus Theophrasti putatur ab Aloysio Auguillara parere 8. de simplicibus cap. de Tribulis Theophrasti esse illa planta quæ oritur in Lio Venetorum, & vulgo ibi Basapiè vocatur. Secundus vero Tribulus ab ipso Anguillara tanquam ignotus relinquitur.

TRichnos, hoc est Solatrum. & dicitur a verbo Græco Tricoo quod est idem, ac mentem auerto, sua enim Venenositate potest mentem auertere.

TRichomanes. est idem ac Filicula a Theodoro Gaza interpræta-ta, & est Polytricum vulgo vocatum ex Cæsalpino libro 16. de plantis cap. 11.

TRicophyllon, ita legit Cęsalpinus lib. 16. de plantis cap. 24 & est idem ac Alga Crinito folio Cognominata a Theodoro Gaza, hoc est Muscus marinus, qui Corallina hodie vocatur apud Aromatarios de qua Vide in verbo Alga Crinito folio.

TRionum. ita interpræta tur Theodorus Gaza, & ex Cæsalpino lib. 4. de plantis cap. 26 reducitur ad Blitum Tuberosum, hoc est ad Blitum radicem Tuberosam proferens, & vt vulgo nos hodie diceremus, al Bietulone con la Radice fatta come Rapa, Sed colore rubro est prædita tota planta. Ab aliquibus referente Ioanne Pona in Descriptione montis Baldi fol. 27 putatur esse illa planta, quæ ab aliis Phaseolus Indicus, siue Bammia. vel Alcea AEgyptia Recentiorum vocatur.

TRipolium, est planta ter in die florem varians quo ad Colorem, oriturq; in marittimis Pisanis, & præcipue incipit virescere circa Foueũ quo fit iter versus Liburnũ statĩ ac transitus fit post Põtem vulgo di San Piero vocatum. circa illam partem qua homines pedestres vadunt, & iter faciunt.

TRisago, siue Trixago est eadem ac Chamædrys græcorum, siue Quercula minor Latinorum, & Italorum Querciola, quæ etiã ab aliquibus Febrifuga appellatur, quia puluis ipsius ad quantitatem vnius Drachmæ ex aqua haustus tribus diebus fugat Tertianas, & febres Longas, vt ait Cæsalpinus lib. 11. de plantis cap. 40.

Sed

Sed aduertendum est pro Iunioribus, quod reperitur etiam alia planta Febrifuga dicta apud Recentiores, quę est Centaurea minor, vt dictum est in verbo Centaurium.

TRiticum, & Frumentago videntur esse idem ex Theophrasto lib. 8. de Hist plant cap. 11.

TRixago. Vide in verbo Trisago.

TVber. est idem ac Hydnon, ita legit Cæsalpinus lib. 16 de plãtis cap 38. & ex verbis Theophrasti absq; dubio sunt illæ radices cibo gratissimę, quæ vulgo Tartufi veri vocantur allati ex Montibus Nursinis, seu di Norcia dictis. Dixi Tartufos veros, quia radices illius Plantæ, quę habet similitudinem in foliis, & floribus cum Planta Maxima, vulgo GiraSole dicta, hodie etiam vocantur Tartufi, & vt tales commeduntur, non sunt Tuberes, sed radices Heliotropii Maioris Notandum etiam quod Tuber Plinii differt a Tubere Theophrasti & a Tubere Cæsalpini, nam ex Cæsalpino lib 3. de plantis cap. 23. Tuber est illa arbor, quam falso Sycomorum vocãt Herbarij: Tuber vero Plinij est Zizipha vulgo il Zizolo, tandẽ Tuber Theoph: sunt vulgares Tartufi, siue Tartufoli.

TVberis terrę Radix, est eadem ac Malum Terræ apud Theodorũ Gazam, & est Cyclaminus, siue Pam Porcinus, & Artanita Mesues ex Cæsalpino lib 9. de plantis cap. 38.

TVrdaria. quę nam planta fit difficile est asserere, cum Theophrastus lib. 7. de Hist plant. cap. 10. solum dicat ipsam florere, vt Aphaca, & Cicorea, & Plantago.

TVssilago. vide in verbo Triphium.

TVya, est Cedrus Lycia, siue Arbor vitæ ex Lobellio lib. obseruationum cap. de Cedro Lycia. ex Cæsalpinus autem lib. 3. de plantis cap. 56. videtur ipsam reducere ad Cupressum. siue Melius dicam ad Cupressi speciem syluestrem, Sed vide copiosius supra in verbo Thuia. vbi Aloysii Anguillarę opinionem probaui.

Venã

VEna Vana. est vulgarium Orzo Saluatico, vt in verbo Bromos dictum est.

VErbascum, Vide in verbo Lanaria.

VEriquercus. est illa arbor, quæ Glandem dulcem producit. ex ipsomet Theophrasto lib. 3. de Hist. plant. cap. 10.

VErnilago. ita a Theodoro Gaza interpraetata est Cinara, siue Carduus satiuus, qui in Etruria vulgo Carcioffus vocatur ex Cæsalpino lib. 13. de plantis cap. 34. & in cap. 38 dicit idem Cæsalpinus, esse Chamæleontem album, vulgo Carlinam dictam.

VErrucaria vulgaris. Vide in verbo Solaris herba.

VEsciæ sunt fungorum species, quæ Pezicæ dicuntur a Plinio lib. 19. cap. 3. vt diximus in verbo Cranium.

VEssicaria. a Theodoro Gaza interprætata est omne genus Stychni, hoc est Solani, siue Solatri ex Cæsalpino lib. 5. de plãtis cap. 15.

VEtriola vulgaris. Vide in verbo Perdicium.

VIburnus. Vide in verbo Spiræa.

VIcia syluestris. est eadem ac Cracca maior, siue Aracum de quibus suo loco videre potes,

VInca Peruinca. est eadem ac Clematis prima a Dioscoride descripta lib. 4. cap 6. dicitur autem Clematis a viticularum Sobole Sarmentosa, quæ Climata a Græcis vocantur ex Auth. Hist. plant lib. 7. cap. 24. dicitur vulgo Prouinca, quia holitores vinciant & ligent alias plantas cum tali planta, vel quia ipsa Clematis vicina queq; Vinciat, & Vincat hoc est liget, & superet: habet & alia nomina, de quibus agere conabor in Libello quem supra Dioscoridem in Lucem edere intendo. Nota autem hoc quod Nutrices muli erculæ quando volunt ex siccare Lac, Vincam Peruincam, seu

P Cle-

Clematidem virentem accipiunt, & supra Mammas imponunt.

VIncus, cum ex Theophrasto lib. 1. de Hist. plantarum cap. 1. Fructum sub terram pariat, vt Arachidna, forsan Arachidnæ species erit, de qua suo loco in verbo Arachidna a nobis dictum est.

VIola. est nomen æquiuocum ad plures plantas, sicut infra dicemus, nam si Ion simpliciter Græco vocabulo vocetur, significat nobis Violam Mammolam vulgo dictam vt asserit Rembertus Dodonæus libro de Historia Florum & Coronariarum herbarum cap. 1. est eadem ac Viola nigra, siue purpurea inferius dicenda. Sed Vide aliqua scitu digna in verbo Ion.

VIola alba, hodie intelligi posset Viola Mammula flore albo; quę tēporibus nostris reperitur præcipue circa montes Auanę

VIola alba. ex Lobellio lib. Stirpium Aduersaria Noua cap. de Leuconarcissolirio, est Leucoium Bulbosum Hexaphyllum Dodonæi, seu Leuconarcissolirion Pratense, vel Narcissus septimus Mattheoli, & vulgi Narciso a Campanella; cuius maxima oritur quantitas in Palludibus Pisanis & præcipue locis nemorosis & Palludosis loco dicto a San Rossore; inuenitur etiam extra Portam Nouam Pisanam in Palludibus paruis vocatis le Palludette, siue Paduletti aut Bozzi delli Scotti, qua fit iter versus Barberecinam.

VIola alba etiam intelligitur Leucoium album, quod Pisis Fior Barco Bianco dicitur, vel Viole a ciocche Bianche, quæ si habeat colorem flauum, siue Luteum dicitur Cheiri, & fit ex ipsa oleū Keirinum: ab Arabibus vocatum, quod hodie maxime est in vsu ad flatuositates, nec non etiam ad dolores Matricales siue vterinos auferendos.

VIola alba syluestris Cæsalpini. Vide in verbo Hesperis.

VIola Flammea. est eadem ac Viola tricolor recentiorum, siue Iacea Mattheoli, vel Herba Trinitatis Fucchsii, & vulgo Pisis Suocera, & Nuora dicta; de qua Vide in verbo Phloginon, siue Phlox,

VIola nigra, siue purpurea sunt vnum & idem, ac Viola Mammola vulgo dicta est vt testatur Rembertus Dodonæus lib. de Hist. florum & Coronariarum Herbarum cap. 1.

VIola Tricolor. est eadem ac Viola Flammea, vt supra diximus

VIorna. Vide in verbo Athragena.

VIscaria est Muscipula Vide in verbo Silene.

VIscũ. est illa planta quæ supra Quercũ nascitur, & vulgari vocabulo Visco siue Vischio Quercino dicitur, at illud Viscũ quod in Abiete & Pino nascitur est Hyphear, & Stelis. vt suo loco diximus confisi Authoritate Theophrasti lib, 2, de Causis plant cap. 23. vbi asserit quoq; Viscum non solum oriri in Quercu, sedetiam in Ilice, & Terebintho. De tali Visco Quercino Præceptor meus F. Franciscus Malocchius dicebat, Aliena fœcundor ope, quasi diceret ipsum non ex se sed ab aliis virtutes accepisse, sic & notitias plantarum.

VItex est idem ac Agnus Castus. siue Agnon. cur ita vocetur Vide in verbo Agnon.

VItiflora ita vertitur a Theodoro Gaza, & a Cæsalpino lib. 14. de plantis cap. 14. interprætatur Oenantha, siue Oenanthe, de qua suo loco egimus.

VItis. est Planta, siue Frutex notissimus vulgo Vite, siue Vigna vocatus, de quo multa eaq; pulcherrima dici possent, sed quia sunt omnibus nota, ea relinquam.

VItis alba Recentiorum. Vide in verbo Athragena.

VItis alba vera antiquorum. vide in verbo Melothron.

VItis idæa. ab Aloysio Anguillara Parere quinto de simplicibus cap. de Vua vrsa, putatur esse illa planta quæ in Apennis vocatur vigna d'Orso, & forsan vt puto hodie Bacola, siue Bacolæ dicuntur, de quibus Cæsalpinus agit lib. 5. de plantis cap. 14.

& de his nos quoq; diximus in verbo Mespili humiles.

VItis Marina Theophrasti. ex Cæsalpino lib. 16. de plantis cap. 34. est quartum genus Corallinæ humi serpens, Sarmentosum ex lapidibus pendens, vndiq; Muscosa Lanugine obsitum nigricante. aut cinerea, extremis capillis in tenuia veluti granula desinentibus.

VItis nigra. vide in verbo Atrhagena.

VItis syluestris. cum sit in vsu ad Psilothrum, hoc est ad Medicamentum depilatorium, vt dicit Theophrastus lib. 9. de Hist plant. cap. 22. vtiq; est eadem ac Tammarrus, siue Dulcis amara, vel Amara dulcis recentiorum Herbariorum, ita dicta quia radix alba ipsius prima fronte sit dulcis deinde Amara, dicitur etiam Solanum, siue Solatrum Ligneum, quia habeat folia similia cum folijs Solatri Hortensi, & tota planta sit Lignosa. Non autem est vitis syluestris quæ efficit vuam syluestrem Commestibilem vulgo Abrutchi vocatam, de qua in verbo Lambrusca dictum est.

VLmus Arbor notissima vulgo Olmo dicta, & Græce a Theophrasto Ptelea dicta est. ex Cæsalpino lib. 2. de plantis cap. 9

VNedo. est idem ac Arbutus, ex Cæsalpino lib 3. de plantis cap 19. siue Epimelis Perperam Galeno, vt dicit Lobellius lib. obseruationum cap. de Arbuto, & ex mea sententia est Frutex ille, qui vulgares Albatras, siue Albatrellas producit.

VOlucrum. si est volucrum maius Lobellii, vtiq; est Periclymenum perfoliatum Calidarum regionum Officinarum, siue Caprifolium, vel Matersylua, vel Lilium inter spinas, vel Vincibosco, seu Abbracciabosco Italorum, vt dicit Lobellius libro Stirpium Aduersaria Noua cap. de Periclymeno, vide in verbo Centeria

VRtica est herba, vel etiam Cæcis hominibus nota & ita dicta ab vrendo quia dum pungit, vrit.

VRtica innoxia, Vrtica Mortua sunt vnum & idem ac Milzadella, siue Dolcimele vulgarium, vt in uerbo Leuce diximus.

Vinea

VSnea Arabum, & Officinarum vide in uerbo Brium.

XIphion, Xiphium Grecorum, est Gladiolus Latinorum, Cypirus Theophrasti ex Cæsalpino lib. 4. de plantis cap. 61. siue Ensis Radix eiusdem Theophrasti ex eodem Cæsalpino lib. 10, de plantis cap 35. Monacuccie Senensium, Pugionem quidam uocant; Vnde nunc nobis intelligere liceat illud prouerbium, siue melius illa uerba vulgaria Xiffi Xaffi, quando aliqui cum ensibus contentionem inter se habent, hoc est quando fanno questione solent dicere, Xiffi, Xaffi, hoc est Spade Spade, quasi dicant dalli dalli con le Spade; quæ sunt aculeatæ, & Late sicut folia Gladioli, siue Xiphii, Sed Vide in uerbo Cypirus, Ensis Radix, & Gladiolus.

XYloaloes officinarum. est idem ac Ebenus uulgo l'Auolio, ut in uerbo Ebenus dictum est ex opinione Lobellii, sed vide in verbo Agallocchum.

ZArzaparilla, siue Salsaparilla, ita dicta est quia, ut refert Mattheolus Senensis lib. 1. supra Dioscoridem cap. CXI. Zarzaparilla est uox Hispana, quæ nil aliud significat quā Rub⁹ uiticulos⁹ Parra enim Hispanis Vitis dicitur Parilla, Viticula. & Zarza, idest Rubus, quasi sit Rubus uiticulosus. Salsaparilla, siue Salsapariglia uocatur quia ut testatur Gabriel Fallopius in Libello de Morbo Gallico cap. 63. cum ea nullum aliud Medicamentum comparari possit, hoc est Senza pariglia, siue Senza ugualità, ab aliis uocatur Sparta pediglia, quasi sparga ut ueluti pes Di[illegible]

ZEa est Tritici species, uulgo La Spelta uocata.

ZIngiber Caninum Auicennæ. Vide in uerbo Piper.

ZIziphа Græcorum. Vide in uerbo Crategus. uulgo il Zizolo.

LAVS DEO.

Ego Cammillus Mazzolius Canonicus Pisanus de mandato Admodum Reuerendi Patris Inquisitoris Pisarum per legi hunc librum inscriptum Animaduersiones, siue adnotationes in libros de Historia, & Causis Plantarum Theophrasti per Dominicum Vignam, Olim de prosperis Flor. Phil ac Medic. Doctorem in quo Nihil fidei, & Bonis Moribus contrarium animaduerti, & in fidem manu propria Pisis Die 2. Iunij 1626. Stilo Pisano.

Cammillus Mazzolius Canonicus Pisanus.

Fr. Ioannes Maria Inquisitor Generalis Pisarum.
Imprimatur.

Stampisi Girolamo da Summaia Priore della Chiesa.

REGISTRO

†** ABCDEFGHIKLMNOP

Sono tutti fogli interi.



PISIS,

Apud Syluestrum Marchettum, & Carolum Massinum.

Superiorum Permissu. 1625.

121

